DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS
De
FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS EPIDEMICIS
QUAM
DEO FAVENTE
CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI MEDICORUM IN INCLYTA ACADEMIA JULIA ORDINIS
PRÆSIDE
VIRO CLARISSIMO ATQUE EXPERIENTISSIMO
DN. HENRICO MEIBOMIO
MED. DOCTORE AC PROFESS. PUBL.
ORD. FACULTATIS MEDICÆ HODIE
DECANO SPECTABILI, NECNON
ARCHIATRO GUELPHICO
DN. PRÆCEPTORE, PROMOTORE AC HOSPITE
SUO ÆTATEM VENERANDO
PRO LICENTIA
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ATQUE PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE CONSEQUENDI
PUBLICÆ ET SOLEMNI DISQUISITIONI SUBJICIT
IN MAGNO JULEO
MARTINUS LADEY SCHÖNINGENSIS.
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS
AD DIEM XIX. DECEMBRIS

(o)

HELMESTADII,
Typis HENRICI DAVIDIS MÜLLERI Acad. Typ.
Anno CIↃ IↃC LXXIIX.

THESIS I.

QUamvis ex tempeſtatum anni anomaliâ, cùm ſua cuique temperies non eſt, varios morbos induci, qui plures homines ſimul invadant, dudum rectè obſervaverit, & non uno in loco notaverit *Hippocrates*, eumque ſecuti omnium ætatum & nationum Medici unanimi conſenſu id doceant, ſuffragante quotidianâ experientiâ. Tamen negari non poteſt, generari interdum peculiare quid in aëre, quod communicatum corporibus noſtris certos morbos inducat, quod cum quavis anni tempeſtate conſiſtere, & debitâ copiâ generatum effectus ſuos apud plures edere, & morbos, quos idcircò etiam Epidemios vocant, producere poſſit.

II. Μιάσματα, Seminia, & à nonnullis Fermenta vocantur, ratione denominationis ſatis manifeſta. Qui fermenta vocant, eò potiſſimum reſpiciunt, quod pleraque intra corpus recepta, inſtar fermenti in id agant, ſanguinemque & humores agitando morbos inducant. Quin ſicut fermenta in parva quantitate magnas pervadere maſſas, & agitare ingentem liquorum copiam poſſunt: ita hæc aërea inquinamenta usque adeò parva ſunt, ut nec ſenſibus comprehendi poſſint, ſed occulto & cæco modo nobis communicata per effectus notabiles demum ſe prodant.

III. In peſte & peſtilentialibus febribus, aliisque malignis morbis, Anginâ, Peripneumoniâ, Pleuritide, Dyſenteriâ (quarum Epidemiarum cum magnâ malignitate hiſtoriæ paſſim extant) ita ſe rem habere, nemo temerè negat: ſunt verò multi alii benigni morbi, qui non minus ac priores aëris vitio plures invadunt, & Epidemici fiunt; De Variolis, quæ non ſemper malignitatem conjunctam habent, ſed ſæpè benignæ admodum ſunt, res eſt notiſſima, quod Epidemicè graſſentur: imò ante triennium ſcabiem in hac urbe & viciniâ Epidemiam fuiſſe, adultiori ætati non minus, quam puerili familiarem, notavit Cl. *Dn. Præſes.* De Ophthalmiis, Diarrhæis, Catharris, Tuſſi, popularibus quidem, ſed in pauciſſimis lethalibus, ex *Vallerio-lâ, P. Salio, Wicro,* aliisque, nunc non dicam, cùm ſatis adhuc in recenti memoriâ ſit, qualem Epidemiam tuſſim ante quadriennium in Autumno experta fuerit tota ferè Germaniâ, de quâ tamen dicere licebat, quod de populari tuſſi anni 80. ſuperioris ſeculi ſcribit *P. Foreſtus l. VI. obſ. III.* quamvis integræ familiæ hoc morbo corriperentur, tamen vix milleſimum inde mortuum.

IV. Ita verò intermittentes quoque Febres non infrequenter Epidemicè graſſantur, & plures ſimul in eadem inprimis domo, invadunt, citra tamen periculum, niſi aliunde corpus jam tum vel ætate vel alio morbo fractum occaſionem morti det. Scio quidem, malignas intermittentes etiam à Medicis memorari, & nuper à doctiſſimo *Moræo* magno numero illarum hiſtorias peculiari libro propoſitas, quæ periculo non carent: non loquor autem nunc de iis, ſed de benignis inter-

intermittentibus, quæ certis typis, manifeſtâ & evidenti ἀπυρεξία, nos affligunt, quotidianæ, tertianæ &c. dictæ.

V. Non eſt neceſſe, ut alienis exemplis oſtendam, Epidemias fuiſſe Intermittentes febres, cùm hoc ipſo anno à Februario ferè menſe ad hunc usque diem non hîc tantum & in viciniâ, ſed in locis remotioribus quoque, & paſſim per Germaniam id fuerit obſervatum: id quod mihi occaſionem dedit, ut non tantum diligentius, tot ante oculos interque manus exemplis extantibus, eas obſervarim, ſed dein porrò de illarum naturâ & curandi ratione aliquid meditatus, nunc loco inauguralis diſſertationis proponere decreverim: non omnia proinde huc adducturus, quæ de Febribus intermittentibus dici poſſunt, ſed quæ illis Epidemiis magis ſunt peculiaria.

VI. Fortaſſis autem ſtatim inter initia non immeritò quis quærat, an Intermittentes febres contagioſæ quoq; ſint, ut inde quoque ad tam multos eodem tempore extendantur? Communiter quidem id de febribus Intermittentibus à Medicis non docetur, nec, ut in aliis morbis contagioſis fieri ſolet, vitantur, qui his correpti ſunt, nec experientia prima fronte hanc rem manifeſtam ita reddit: Sequor tamen hîc *Cl. Dn. Præſidis* ſententiam & rationi congruam & experientiâ ſtabilitam. Monet ille, diſtinguendum eſſe inter Febres intermittentes Epidemias & non Epidemias. In his obſervatum contagium non eſſe, in illis revera adeſſe, quamvis non ſemper æque manifeſtò ſe prodat, nec adeò promtè inficiant hæ febres, quam peſtilentes faciunt: ceu inter illos morbos, qui contagioſi appellantur,

 magnum

magnum in facilitate & celeritate infectionis diſcrimen eſt, ceu egregiè oſtendit doctiſſimus *Fracaſtorius* in aureis *de morbis contagioſis* libris.

VII. Scilicet in malignis quoque petechialibus Febribus, quando Epidemicè non graſſantur, ſed vel hunc vel illum cum graviſſimis ſymptomatibus, etiam ipsâ morte ſubſequente, affligunt, contagium non obſervatur. Et graviſſimæ lethalesque dyſenteriæ non temerè à quoquam contagioſæ obſervatæ fuerunt, niſi Epidemiæ fuerint, ceu hoc anno vidimus. Eodem modo cum Febribus Intermittentibus ſe res habet, in quibus populare eſſe & contagioſum eſſe, ſimul adeſt & abeſt. Id quod rectè etiam obſervavit magnæ experientiæ & doctrinæ Vir *P. Neucrantzius*, ideoq; in ſuo *de purpura libro c. V. p 54.* ita ſcribit: *Nec enim tertianæ, quartanæ, continuæ febres contagio ad alios tranſplantantur, quod ſeminaria ita elaborata illis deſint, niſi fortè* Epidemiæ *ſint; tunc enim propriam contagii eſſentiam jam conjunctam gerunt.*

VIII. Conſiderantes verò diligenter modum, quo invadunt Intermittentes Epidemiæ, non poteſt non experientia docere, illos, qui in eadem domo, eodem contubernio, eodem ſæpe lecto utuntur, frequentiſſimè infici, ad unum penè omnes. *Cl. Dn. Præſes* teſtatus mihi eſt, ſe contagium illud in tertianis Epidemiis non tantum hoc anno clarè obſervaſſe, ſed multò etiam manifeſtius anno 66to, quando hæ febres cum alibi tum inprimis Wolffenbütteli (ubi tum medicinam faciebat *Cl. Dn. Præſes*) plus quam dimidiam partem hominum afflixerunt, ubi contigit, ut omnibus in unâ aliquâ domo, numeroſâ admodum familiâ, decumbentibus, ſtatim corriperentur, ſi qui ad miniſtrandum

circa

circa lectum inprimis, noviter acceſſiſſent, cùm tamen nulla adeſſent malignitatis indicia, nullus etiam moreretur. Celeberrimus *Sennertus* l. 2. de Febrib. c. 20. meminit Quartanarum, quæ toti Germaniæ, anno 1616. fuerint Epidemiæ, & Wittebergæ tam familiares, ut etiam modò natos corripuerint, & vix domus aliqua eſſet, in quâ non quantanarius unus vel etiam plures decumberent; tandem hæc verba ſubjungit: *quæ quartanæ, etſi à communi aëris conſtitutione ortum haberent, accedebat tamen contagium, quo ſeminaria febris in alia corpora transferebantur.*

IX. Notandum tamen (quod itidem diligenti *Cl. Dn. Præſidis* obſervationi debeo) in principio, quando hæ febres primò invadunt, tum eſſe contagioſas, quando autem aliquandiu durarunt, (uti ſolent tertianæ nothæ, & quartanæ inprimis, ſatis eſſe diuturnæ) tum nullus amplius ab iis contagii metus; Habent ſe Intermittentes Epidemiæ aliter in principio, aliter in fine, & uti deinde dicam, in principio ſæpè magnitudine & vehementiâ & celeritate ſymptomatum malignitatis ſuſpicionem Medico pariunt, & tum potiſſimum ſunt contagioſæ.

X. Videamus igitur nunc, quomodo à principio ad finem ſeſe habeant. Corripiunt autem hæ febres omnes indiſtinctè cujuſcunq; ætatis & ſexus, nullo etiam habito ad conſtitutionem corporis, ſive bonam, ſive malam reſpectu, & cùm integrè valentes, tum neutrius ſtatus, ut appellant Medici. Ideoque nec profuit ad præcavendas has febres purgatione vel venæ ſectione corpus à ſuperfluis liberare, quin potius deprehenſum fuit, poſt illa facta, poſt fortes inprimis

purga-

purgationes, facilius his febribus non paucos fuiſſe correptos. Omnis enim commotio ſanguinis & humorum ad *μίασμα* illud & contagium recipiendum reddidit homines aptiores, quod in tantâ quotidie occurrentium ægrotorum copiâ manifeſtò obſervare *Cl. Dn. Præſidi* licuit, cùm non tantum, ut dixi, qui venam incidi ſibi fecisſent, aut fortiter purgati eſſent, ſed & qui nimio corporis, aut animi imprimis vehementioribus motibus ſanguinem humoresque agitaſſent, fœminæque tempore menſtruationis ſuæ aut puerperii, frequentius corriperentur.

XI. Nonnulli, antequam ſe revera febricitare ſentiunt, de laſſitudine totius corporis, membrorum gravitate, noctibus inquietis, capitis gravativo dolore, & quodam quaſi ſtupore, cervicis tenſione, quidam non diu ante febrem de ventris quoque torminibus, conquerebantur. At contrà alios, nullis præviis ſignis, derepentè febris invadebat, edentes, ambulantes, negotioſos & nihil minus metuentes, ut vulgus vento quaſi afflari hunc morbum diceret.

XII. Solent febres intermittentes cum frigore, plurium ſæpe horarum, incipere, quod cum & ordinarium & ægris quam maximè moleſtum ſit, apud quasdam nationes nomen inde illæ acceperunt. Habet tamen ſe in Febribus intermittentibus Epidemicis plerumque res aliter, certè in principio. Willis. l. de febr. c. 3. *Increbuit*, inquit, *hoc autumno febris intermittens, cujus acceſſiones tantum cum calore eoq; intenſisſimo ægros, exercuêre; in plerisque adfuit vomitus immanis, minimè verò frigus & ſudor; poſt 4. dein aut 5. periodos, ingruente paroxyſmo, parum algere, & poſtea apertè rigeſcere ſolebant.* Simile

mile quid in aliis quoque Epidemicis conſtitutionibus, & à me obſervatum eſt. In initio levem horrorem patiebantur plerique, quidam planè nullum; dein non pauci paroxyſmi cum vehementi calore, vomitu, aliisque ſymptomatibus ſequebantur, nec de ullo vel frigore vel horrore in principio conquerebantur, niſi quod quidam in ipſo calore dicerent, ſe ſimul & frigere & calere, manu enim extra lectum exertâ ſtatim ſe frigus percipere. Febribus tamen diu durantibus, & in tertianis nothis, duplicibus, quartanisq; frigus rigoresque præcedebant. Obſervaverat idem Vir magni judicii & multæ experientiæ *Simon Simonius in ſynopſi de humoral. febr. nat. c.7.* cujus verba dum refert *Cl. Sennertus l. 2. de febr. c.17.* non audet quidem rem ipſam negare, ſed addit, febres tales ſæpè potius eſſe continuas, quod facilè ex pulſu pateat, id quod concedere non poſſum. Quamvis enim in principio harum febrium omnia ſatis confuſa ſint, nec typus manifeſtus, &, maximis licet ſymptomatibus ceſſantibus, calor tamen & pulſus agitatio remaneat, donec novo ſuperveniente paroxyſmo, ſymptomata iterum increſcant, ut hæ continuis non abſimiles ſint: Tamen deinde ordinatè febres has accedere, ſine ullo frigore, manifeſtiſſimâ & perfectâ ἀπυρεξία, docet experientia, cui hæc controverſia utique decidenda relinquitur.

XIII. Nota ſunt, in vulgus quoque, ſymptomata harum febrium, cùm aliarum, tum Epidemicarum, ideoque fortaſſis non eſt operæ pretium, ut de iis multa hic adducam: nec in omnibus eadem apparent, quia non tantum febres ſunt diverſæ, & typo variant, ſed etiam conſtitutio ægrorum diſſimilis eſt. Lubet

 tamen

tamen potiſſima conſiderare, eo inprimis ordine, quo non ſemper quidem, plerumq; tamen ſe ſubſequuntur.

XIV. Caput inter principia ſtatim laborare deprehenditur, affligentibus id, quâ dolore, quâ vigiliis. Et dolor interdum minor, obtuſior, & gravativus tantum: interdum verò major, acutus, & pulſativus, imò ſæpè adeò immanis, ut nullis remediis cedens miſerrimè ægros affligat. In ipſo paroxyſmo imprimis hoc contingit, illoq; ceſſante ceſſat quoq; dolor: eſt tamen, ubi poſt paroxyſmum non minus affligit ægros dolor ille, diebus intermittentibus, ſi non ſemper, certè poſt cibum ſumtum, aut horis matutinis. Locus dolens non ſemper idem eſt, dum interdum circa frontem magis, verſus oculos, & ad radices ipſas oculorum, dolor obſervatur, ſæpè in temporibus tantum intolerabilis pulſatio, ſæpè in occipite, aliquando totum caput ita afficitur, ut, quæ potiſſimum pars doleat, æger ipſe dicere non poſſit.

XV. Ad hunc dolorem verò non parum conferunt vigiliæ, quas viciſſim etiam dolor ipſe cauſatur. Quando tamen perfectæ intermiſſiones adſunt, ſolent noctes intermittentium dierum ſomni non eſſe expertes, quamvis ſæpè ſatis ſint turbulentæ, & inſomnia mira ſeſe offerant. In tertianis nothis, in ſenile inprimis corpus incidentibus, non tam de vigiliis eſt querela ægrorum, quam ſomnolentia metuitur à Medicis. In quibusdam enim mox cum paroxyſmo incipit ſomnus, à quo, turbulento licet, & vires magis dejiciente, quam reſtaurante, vix, niſi paroxyſmo finito, liberantur, magno ſæpè metu lethargi. In aliis circa decli-

declinationem paroxyſmi blandus ſomnus obrepit, qui bonus eſt, & ſudorem egregiè promovet.

XVI. Deliria in febribus peſtilentibus, malignis & continuis, iisque valdè acutis, inprimis obſervantur: in Intermittentibus parcius, & multò rarius, & longè minori vehementiâ; aliquando tamen. In principio invaſionis Epidemias has febres intermittentes continuis ferè ſimiles eſſe, & ἀπυρεξίαν earum vix obſervabilem, ſupra monui; tum verò ſæpè numero etiam deliria deprehenduntur. Alias, in tertianis potiſſimum, in vigore paroxyſmi, dum ſumma eſt ſanguinis ebullitio, & caput dolore, caloreque afficitur, delirare ægri conſpiciuntur. Qui in paroxyſmo dormiunt, & tum evigilant, aut excitantur, aliquandiu, quid agant, loquanturque, neſciunt, & deliri aſtantibus videntur.

XVII. Circa Nucham quoque de dolore frequenter conqueruntur, qui interdum deorſum magis protenſus totam ſpinæ dorſalis longitudinem afficit, & lateraliter ad ſcapulas quoque pervenit. Et hi dolores in multis non in ipſo tantum paroxyſmo, ſed diebus quoque intermittentibus, imò aliquando febre ſublatâ, obſervantur.

XIIX. Artuum dolores, pedum inprimis, vel in ſuris, vel in ipſis plantis, intolerabiles ſæpè ſunt, cum durante frigore, tum etiam, illo abſente, alias, & poſt febrem. Tenſivi verò ſunt, & cum aliquo potius frigoris ſenſu, quam calore conjuncti. In quartanâ osſium medullarumque membranæ dolent, vocaturque ὀστεοκόπος dolor Græcis, qui ſcorbuticis quoque familiaris eſt.

XIX. Inprimis autem (quod primo ſtatim loco monere debueram, quamvis non in principio tantum, ſed deinde quoque id deprehendatur) ventriculus graviter per has febres afficitur, deque nullâ re ægri magis conqueruntur: quamvis vulgus, neſcium, ventriculi orificium tam altè ſitum eſſe, pectus incuſet, & pectoris anguſtiam plerumque nominet. Cardialgia ſcilicet (quo nomine Medici non ipſius cordis propriè dicti, ſanguinis promi condi, ſed oris ventriculi affectum denotant) eos affligit, dolore nunc gravativo, nunc tenſivo, interdum etiam urente & mordicante. Nec tantum tempore paroxyſmi hic dolor obſervatur, ſed ſæpiſſimè aliquot horis paroxyſmum antevertit, & poſt illum ſatis diu durat, & diebus quoque intermittentibus redit, cibo præſertim ſumto. Comitantur eam interdum ructus, cum flatulenta eſt: ſæpè vomitus nunc bilioſi, nunc pituitoſi, aliquando aquei, ſubacidi aut acerbi, pro differentiis febrium & conſtitutionum. Circa primum invaſionis tempus, uti in his Epidemiis febribus cardialgiæ majores, ita etiam vomitus ſunt frequentiores, & ſæpè immanes, miſereque ægros torquentes; dum præſertim, excluſis ex ventriculo bile, & humoribus aliis, nihilominus ille ad inanem motum concitatur. Procedente tamen tempore mitiores fiunt vomitus, & tantum nonnihil durante frigore, vel in principio caloris ſubſequentis inprimis ſunt moleſti, tandem planè ceſſant, niſi tempore paroxyſmi errore aliquo diætæ redeant, aut in quibusdam ægris, nimis ſenſibilem ventriculum habentibus, toto morbi decurſu durent. In tertianis febribus

bribus ordinariò frequentiores ſunt, quam in quartanis, quamvis in illarum principiis quoq; raro abſint.

XX. Non poſſum quoque non hic meminiſſe fœdi ſaporis, de quo plurimi febricitantes conqueruntur, ſe illum, & ante paroxyſmum, & in principio ejusdem, & poſt illum, in ore percipere: imò durat ille ſatis diu aliquando, ſublatâ licet febre, non ſine recidivæ metu. Deſcribere, cujus ille ſaporis ſit, exactè non poſſunt, quidam inſipidum, alii ſubdulcem, alii amaricantem dicunt, nauſeabundum omnes.

XXI. De Æſtu, Pectoris & cordis agitatione, ſiccitate oris, ſiti &c. nihil dicam, cum nota & vulgaria omnia reliquisque febribus communia ſint: de alvo vel aſtricta vel laxa parum itidem, cùm diverſimodè ſe res habeat, & interdum ſatis aſtricta cardialgiam flatulentam augeat, aliquando nimis fluida ſit cum virium dejectione, interdum cum εὐφορίᾳ, & quodammodo criticè, materiam morbificam ſubducat.

XXII. De typis harum febrium illud monendum eſt, & Tertianas, ſimplices duplicesque, & Quartanas itidem, ſimplices duplicesque obſervari: verno tamen tempore & ad adultam usq; æſtatem vix oriri quartanas, ſed meras tertianas: deinde verò tertianas nothas & quartanas promiſcuè. Sane hoc anno, quantum à *Cl. Dn. Præſide*, aliisque Practicis audivi, & ipſe obſervavi, ante menſem Auguſtum non temerè quartanæ hîc locorum obſervatæ ſunt, poſtea autem illorum meſſem metere maximam licuit, & hodieque non infrequentes ſunt. Tertianæ ſimplices faciliimè in duplices abierunt, ut & quartanæ, ſine ullo errore vel in diætâ ab ægro, vel circa medendum à Medico

commiſſo. Adveniente autumno, tertianæ aliquoties in quartanas mutatæ ſunt: frequentius tamen quartanæ ſuo ſtatim typo ſe oſtenderunt. Aliquando ſibi invicem ſucceſſerunt, & in iisdem perſonis, cesſante per aliquot hebdomadas tertianâ, dein quartana orta eſt: imò poſt quartanam curatam, viſa iterum eſt tertiana, iterumque dein quartana invadere, cum non parvâ medentium admiratione.

XXIII. Hæc autem ſymptomata omnia ab illo Miaſmate oriuntur, dum corpori noſtro communicatum, ventriculum afficit, & dein ſanguinem humoresq; agitat, & interim natura ad illud præternaturale inquinamentum expellendum ipſa conſurgit. Scribunt Medici, quando Epidemicæ hujuſmodi febres graſſantur, vitio aëris ſanguinem & humores corrumpi, vel, ut alii loquuntur, putreſcere, & ab illâ corruptione oriri deinde febres. Ex recentioribus *Cl. Williſius* etiam in eâ ſententiâ eſt, & *lib.3.de Febribus c.3.* per illas cœli ſeu aëris conſtitutiones ſanguinem alterationem magnam ſuſcipere docet, & Vere quidem calidam & biliosam temperiem nanciſci, autumno verò diatheſin modò acrem & bilioſam, modò ſtypticam & auſteram acquirere.

XXIV. Verum enim verò, cùm omnia diligenter conſideramus, videtur ſe hæc res longè aliter habere. Negari quidem non poteſt, & ſtatim in initio fasſi ſumus, per aëris anomalias, magnasque temporum mutationes corpus noſtrum, & ſanguinem humoresque magnas etiam pati alterationes, & ad morbos ſenſim diſponi: imò in his ipſis febribus manifeſtiſſimum eſt, per aëris ſenſibiles mutationes mutari illarum typum,

pum, ut idcircò ad Auguſtum usque tertianæ, dein quartanæ frequentes ſint. Verum nondum idcirco mihi quis perſuaſerit, hoc modo Epidemias Intermittentes ordinariò generari, ſed omnino arbitror, peculiare aliquod in aëre & ſui generis *μίασμα* (quod tamen deinde aliquo modo ab aëris qualitatibus alterari poteſt) illo tempore eſſe, quod hominibus communicatum febres excitat. Sanè *Cl. Williſii* argumenta, quibus contra illos pugnat, qui febrium intermittentium focum in primis viis ponunt, egregiê in ipſum torqueri poſſunt, ad alterationem ſanguinis, quam ſupponit, non probat, rejiciendam.

XXV. Quando enim ad hiſtoriam harum febrium recurrimus, infinita eorũ exempla videre licet, qui tempore talis Epidemicæ conſtitutionis toti ſani, deq; nullo ſymptomate conqueſti, derepentè febri corripiuntur. Quî autem ſciri poteſt magna illa ſanguinis alteratio, quæ nullo omnino ſigno ſe prodit? An non rectius colligitur inde, extrinſecus aliquid communicari, quod varios illos motus cieat, & tantos effectus tam ſubitò edat, ad inſtar venenorum, quæ intra corpus ſaniſſimum recepta mox omnem ejus œconomiam miris modis perturbant, quibusdam ſymptomatibus planè ſimilibus.

XXVI. Quod ſi ſolutionem, quæ & citra artis opem, & per illam fit, conſideramus, non parum ſententia noſtra roboratur. Quis enim neſcit, & in his febribus non obſervavit, paucis quibusdam puſtulis circa labia, nares aut alibi (in genis, ut *Cl. Dn. Præſes*, in digitis, ut *Sennertius l. 2. c. 16. p. 254.* obſervavit) erumpentibus, mox ceſſare febrem, & qui antea tam gravibus ſymptomatibus laborabant, paulò poſt ſibi videri totos

ſanos,

ſanos, & reverà eſſe? Quomodo explicabunt hæc, qui magnas illas intemperies & alterationes in ſanguine cauſantur? An non potius veroſimiliter dicitur, fermentum, quod ſanguinem hactenus turbavit, in parte molli erumpere, & acrimoniâ ſuâ eroſionem facere, puſtulasque in cute excitare, quo exterminato omnia ſedantur, & priſtina redit ſanitas?

Hi motus humorum, atq; hæc certamina tantâ
Fermento exiguo excluſo compreſſa quieſcunt.

XXVII. *Cl. Dn. Præſes* teſtatus mihi eſt, ſe hoc anno in plus quam viginti perſonis, cætera ſanis, magnas labiorum exulcerationes obſervaſſe, in quarum ortum dum inquiſivit, hoc reſponſi accepit, horrorem levem præceſſiſſe, ſubſecutum fuiſſe calorem, aliquot horarum, vel noctem fuiſſe valdè inquietam, manè ſubſecutum ſudorem, & deinde obſervatas illas puſtulas in labiis. Quid aliud hic videmus, quam communicationem illius μιάσματος, ſeu fermenti, quod tamen robuſta natura mox excluſit? Dum contra in aliis firmiter ſe affigens, tam mirè corpus, tot ſubſequentibus paroxyſmis, agitat.

XXIIX. Scio, à nonnullis hanc ſolutionem per labiorum exulcerationem pro incertâ & fallaci haberi, quam non ſemper febris finis comitetur, quod & *Williſius l.c.p. 137.* docet. Verum, quamvis id negari non poſſit, interdum cum puſtuloſis labiis ſatis diu adhuc febres durare, tamen manet argumenti mei robur, ſi tantùm ſæpius id contingat. Deinde exulcerationes illas non ſemper eodem modo ſe habere, experientia docet. Sæpè una tantum, aut altera puſtula erumpit,

aut,

aut, ſi plures erumpunt, mox iterum ſaneſcunt: hinc nulla fit febris ſolutio, interdum tamen aliqua remiſſio. Poteſt eſſe, ut major ſit materiæ copia, quam quæ ibi evacuari omnis poſſit, ceu ſæpè per totum corpus fit proruptio, quod & *Williſius l. c.* exemplo docet, exanthematibus in toto corpore apparentibus, ac ſi variolæ adeſſent. Confer exempla, quæ habent *Sennertus in Paralipom. ad libros de febrib. p. 176.* & *Joh. Rhod. cent. 1. obſerv. 27. 12. 16.* ubi ſcabie quartanas ſolvi docent. *Cl. Dn. Præſes* hoc anno juveni medicinam fecit, tertianâ Epidemiâ laboranti, cui quarto paroxyſmo exulcerata labia febrem ſolverunt, ſed ita ut ille nihilominus debilis, ſine appetitu, totus languidus, lecto hærere cogeretur: datis verò per octiduum medicamentis incidentibus & attenuantibus, ulteriorem excluſionem molita natura per totum corpus levem aliquam efflorescentiam, ſed cum immani pruritu, excitavit, moxque comedere & à languore liberari cœpit. Scilicet excluſio fermenti illius non ſemper per labiorum puſtulas tota fieri poteſt: ſufficit autem ad hanc rem probandam, eam reverà ſæpius cum totali ſolutione febris fieri.

XXIX. Non dicam de aliis miris ſolutionibus harum febrium, quæ ſatis demonſtrant, non à corruptione ſanguinis, ſed exiguo aliquo miaſmate dependere febrem, quo excluſo, quocunque etiam modo, aut mortificato, mox ceſſet febris. Quis neſcit ſubito aliquo animi affectu poſſe mox febrem tolli? Ipſe *Willis l. c. p. 138.* ita ſcribit: *quandoq; ſurditate ſubortâ febris tertiana ſtatim ceſſavit:* quis eo ipſo magnam illam è ſanguine alterationem ſublatam credat?

XXX. Solutiones porrò per artem noſtram quoq; ſententiam confirmant. Non dicam, quomodo Empirici, & etiam alii, cauſticis aut veſicatoriis alicubi, in carpis potiſſimum, appoſitis, curent has febres, excluſo ſcilicet fermento hoc, cum ſanguinis intemperati correctio ab illis quidem remediis exſpectari nulloq; modo poſſit, vulgariſſimæ curationes, à plebeculâ etiam, ſale abſinthii vel cardui benedicti, vel pulvere ejusdem inſtitutæ, excitato ſudore, per quem ſæpiſſimè febris in primâ herbâ jugulatur, clarè docent, extraneum potius aliquod & herogeneum fermentnm excludi, quam ſanguinis intemperiem corrigi.

XXXI. Celeberrimus *Sennertus*, cùm aliàs huic ſententiæ omnia contraria doceat, certè curationem, ut deinde docebitur, iſti doctrinæ non accommodet, tamen vi ἀδρασείας coactus, eadem penè dicit, quæ nos. Verba ipſa notabilia ex *lib. 2. c. 17. de febribus* merentur adſcribi: *ſi ea*, inquit, *quæ in febribus accidunt, obſervemus, videtur illud μίασμα & πλήρωμα σηπεδῶδες ſæpè quidem mole eſſe exiguum, ſed vi maximum, utpote, quod* primaria paroxyſmi cauſa eſt, *& quo diſcuſſo paroxyſmus ceſſet. Id quod interdum à naturâ fieri ſolet, quæ id è venis expellit, dum circa labia, nares & alias faciei partes puſtulæ excitantur.* Vide, quæ diſſerit *P. Galateus in Epiſtolâ Gallicè ſcripta ad Hotomannum contra VVilliſii* de ferment. & febribus libros, *in fine diſſ. l.* Hoc verò μίασμα extrinſecus ex aëre in Epidemiis his febribus advenire, jam clarè ſatis monſtratum eſt.

XXXII. Quamvis autem hæc ita ſe habeant, nihilominus tamen libenter concedo, febribus his per notabile tempus durantibus magnam ſæpè in ſanguine dy-

me dyſcraſiam oriri, & cùm bilem per paroxyſmos commoveri, tum deinde pituitæ proventum copioſum fieri: id quod uti experientiâ quotidiana docet, ita hic monere neceſſarium duxi, quia dein in curatione hæc annotatio uſui erit.

XXXIII. His ita poſitis, explicare quidem deberem, qualis naturæ eſſet illud μίασμα, quod tantas in corpore turbas facit, & interdum per unum alterumve diem deliteſcens mox iterum exſurgit, perque plures menſes, imò annos efficax manet. Verum, cum ſenſibus noſtris occultum, effectu tantum ſe prodat, & is effectus quidem in commotione ſeu fermentatione humorum conſiſtat, valdè ζυμῶδες eſſe, & meritò à nonnullis Fermentum vocari, manifeſtum eſt, de reliquâ tamen ejus naturâ nihil habeo, quod dicam: multò minus paroxyſmorum reddere rationem poſſum, imò ne tentabo quidem, cùm hactenus inter tot eruditos, in explicatione hujus rei occupatos, nemo exſtiterit, qui, quibuscunq; etiam hypotheſibus ſuppoſitis, ſatisfacere curioſis potuerit.

Neſcire velle, quæ Magiſter optimus
Docere non vult, erudita inſcitia eſt.

In artibus verò ita comparatum eſt, ut quamvis interdum τὸ διότι non aſſequamur, nihilominus tamen feliciter progredi poſſimus. Id quod in Medicinâ quotidiè uſu venit.

XXXIV. Ut porrò explicem, quomodo ſymptomata illa omnia, ſupra in hiſtoriâ enarrata, à fermentatione illâ præternaturali ſanguinis & humorum dependeant, non videtur operæ pretium: minus quidem

hic difficultatis, at ab omnibus Medicis iſta tractantur, non tantùm, qui de Febribus intermittentibus ſcripſerunt, ſed qui de continuis quoque, imò malignis: omnium enim ferè febrium iſta ſymptomata ſunt, nonnihil tantum aliter modificata.

XXXV. Ad Prognoſtica igitur progrediamur. Eſſe autem omnes Febres, quæ ἀπυρεξίαν veram habent, minus periculoſas continuis, notiſſimum eſt; imò non niſi ex accidenti fiunt lethales. Epidemiæ hæ, vehementiâ Symptomatum, Cardialgiæ inprimis & Cephalagiæ, inter initia aſtantes, imperitosque valdè metuere faciunt, peritos tamen Medicos non item; mox enim intermittentium aliarum naturam induunt, & per ſe periculi ſunt expertes.

XXXVI. Contingit tamen frequenter, ut alios morbos inducant hæ febres, qui lethales ſunt, id quod contingit partim ex malâ conſtitutione ægri, partim errore quoque ægrotantium, & denique, ne quid diſſimulemus, culpâ Medentium, empiricè ſpecificis & febrifugis ſuis paroxyſmos, quocunque tantum modo, ſiſtentibus, ipſum verò fermentum non exterminantibus. Egregiè taxat negligentiam illam Medicorum *Jacobus Oethæus* apud *Schenk. obſerv. l. VI. de febr.* p. 825. *Etenim ex hoc memini*, inquit, *quosdam in varios abſceſſus, maximè verò coxendicum, imò in Impetigines fœdas, item in icteritiam cum hydrope junctam, item in Colicos dolores inſanabiles, quos tandem Epilepſiæ, & paralyſes, aut arthritides ſequutæ ſint, item in tabem ac convulſiones mirificas incidiſſe*: quæ dein particularibus exemplis illuſtrat.

XXXVII. Si diu durent febres intermittentes tertianæ ſcilicet nothæ, & quartanæ, frequenter, fru-

ſtrà

ſtrâ etiam contranitentibus Medicis, cachexiam, ſcorbutum & tandem hydropem, difficulter curabilem, poſt ſe relinquunt. Imò etiam, quando lentæ fieri incipiunt, in hecticam tandem ægros præcipitant, ceu exemplis docent *Joh. Crato. conſil. 338. VVolfg. Gabelchoverus cent. VI, fol. 149. Lazar. Riverius. cent. 2. obſerv. 22.* De Quartanâ febre *Cl. Sennertus l. 2. c. 19.* *Sicca*, inquit, *corpora ad hecticam & tabem deducit.* Vide exempla apud *Joh. Petrum Lotichium l. 1. c. 2. obſerv. 4. Petrum Poterium, cent. 1. curat. 3.* ubi illuſtris viri meminit, qui ex quartanâ duorum annorum in quotidianam, dein in hecticam incidit.

XXXIIX. Solutionis in febribus non unus modus eſt, frequentiſſimus tamen & tutiſſimus ille, qui fit per ſudorem, quo, ut plerumque quilibet paroxyſmus, ſic tandem tota febris terminatur. Alias quoque, propulſione ad habitum corporis factâ, ſolvuntur; quo pertinet puſtularum in facie eruptio, de quibus ſupra. Per fluxus ventris, urinæ, & hæmorrhagias, ſalivationem itidem, quamvis rarius, terminari has febres, experientia docet. Interdum in longis febribus nulla fit ſenſibilis evacuatio, ſenſimque deſinunt.

XXXIX. De tempore durationis, non eſt, ut aliquid dicam, cùm nota omnia ſint. Non tantum autem inter typo variantes febres hîc magna eſt diſcrepantia, interque illas longiſſima quartana, quâ ſupra 24. annos quendam laboraſſe *Jovianus Pontanus l. 9. de reb. cœleſt. c. 8.* refert: verum etiam pro anni tempeſtate non parum in duratione differunt. De quartanâ *Hippocrates ſect. 2. aph. 25. Æſtivæ Quartanæ plerumq; bre-*

ves ſunt: autumnales longæ, & maximè, quæ ad hyemem pertingunt. Quod ita ſe habere, experientia docet, & non tantum de quartanis, ſed etiam de tertianis nothis verum eſt. *Thomas Siddenham* diligentiſſimus Epidemicorum morborum indagator, *in obſervationibus circa morborum acutorum hiſtoriam & curationem. c. 5.* diſcrimen, quod inter Vernales & Autumnales Intermittentes eſt, ſpecialius proponit, & non tantum Autumnales longiores eſſe oſtendit, ſed etiam in declinationis ſtatu gravia illis ſymptomata ſupervenire, magno numero, cùm vernalibus contra pauciſſima. Ideoque Intermittentes vernales ſemper ſuo arbitrio permittendas exiſtimat, nec medicamentis curandas, cùm ſuâ ſponte evaneſcant, & nemo inde fatis concedat, ſi modò tota res naturæ permittatur: id quod præcipuè in infantulis non ſine admiratione ſe ſæpè obſervaſſe ſcribit. *Vid. p. 84. & 100.*

XL. Sed progrediamur tandem ad Curationem. Cùm ſibi relictæ febres Intermittentes cætera ſanos homines non occidant, & natura vegeta ſuperare morbum hunc poſſit, (id quod quotidiè in infantibus, & ægris nauſeabundis videre licet, dum nulla medicamenta accipiunt, febre ſuâ ſponte deſinente,) feliciores judico illos, qui Medico nullo utuntur, quam qui in manus imperiti incidunt, Empirici, Specificiſtæ, qui nec conſideratione ægri inſtitutâ, nec motu naturæ, extraneum fermentum, vel hac vel illâ viâ excludere nitentis, conſiderato, tantum certis quibusdam medicamentis contra paroxyſmum pugnet. Inſignis ille Philoſophus *Phavorinus in laudem febris Quartanæ* illud ex Platone adducit: (ap. *Aul. Gell. in noct. Attic. l. 17. c. 12.*)

qui

qui quartanam paſſus convaluerit, viresq́ integras recuperave-rit, fidelius conſtantiusq́ poſtea valiturum. At hi dum ſublato tantum paroxyſmo doloſam ſanitatem procurant, vires non reddunt, & in maxima ſæpè mala, quæ ipſam tandem mortem inducunt, præcipitant, de quibus *th. XXXVI.* dixi.

XLI. Ut ego verò Theoriæ meæ hactenus propoſitæ curationem accommodem, cùm ab extraneo fermento intra corpus recepto, tumultus ille febrilis oboriatur, ſtatim oritur Indicatio, eſſe illud quanto ocius expellendum: quod ſi tamen id ipſum fieri non poſſit (fatendum enim, Medentes hîc interdum deficere omni ſuâ diligentiâ, aut certè non tam citò, quam vellet æger, id facere poſſe,) μίασμα illud ſuâ ἐνεργείᾳ ſpoliandum, ut infractum effætumque ſenſim etiam ex corpore abeat.

XLII. Ut jam rectè excludatur μίασμα Febrile, debet quidem prudens Medicus diligenter obſervare motum naturæ, quò illa inclinet; in univerſum tamen dicere licet, per ſudorem, & facillimè, & quam optimè, & utplurimum, excludi, ideòque (niſi impedimentum aliquod obſtet, quod prius removendum) ſudoriferis contra has Epidemias Febres eſſe agendum. Conſentit hîc nobis *Sennertus de febr. l. 2. c. 17.* commodiſſimè ſcilicet ſudoriferis id μίασμα tolli, & *l. 2. c. 8.* multus eſt in commendandis ſudoriferis, niſi quod cautelas nonnullas addat, & inprimis poſt coctionem humorum, & reliquis præmiſſis evacuationibus, adhiberi ea velit. Ubi quidem in ſudoriferi exhibitione interdum quoque peccari poſſe, certum eſt: quotidiè tamen videmus, plebeculam pulveribus ex carduo benedicto,

dictamno,

dictamno, tormentillâ, pimpinellâ, gentianâ & ſimilibus, ſtatim in principio aſſumtis, febres has pellere, excitato ſudore. Tantò autem felicius, & majori effectus certitudine, ſudorifera exhibet Medicus prudens, quantò & corpus eſſe perſpirabile, & naturam ad ſudorem inclinare, & nihil aliud obſtare, certius conjecit.

XLIII. Sudorifera illa partim ſimplicia ſunt ex herbis modò dictis & ſimilibus, partim compoſita, aut arte præparata. Aliis veteres uſi ſunt, aliis moderni utuntur, & ex modernis illi, qui Galenum ſequuntur, ſua habent peculiaria, Chemici ſua quoque, Spiritus, Tincturas, Elixiria, Salia fixa & volatilia, &c., & quibus quisque aſſuevit, quorumque effectus præ aliis obſervavit, illa inprimis probat. Mihi (ſalvâ aliorum pace) fixa inprimis placent ſudorifera, ex Antim. diaphor., bezoartico minerali, ſalibus ex cineribus eductis, non neglecto ſale prunellæ: hæc enim ſanguinem non commovent, & tamen per ſudorem, quicquid in eo eſt heterogenei fermenti, egregiè expellunt.

XLIV. Præter ſudorem, per urinam quoque videmus μίασμα illud educi poſſe, quamvis nec tam commodè id fiat, nec tam frequenter ſucceſſus reſpondeat, imò unâ vice rariſſimè totum propellatur; quare nec febris inde ſubitò perit, ſed ſenſim. Egregii autem ſunt ad hanc per urinam expulſionem promovendam ſpiritus acidi per ignem parati, ex ſale comm., vitriolo, & ſulphure, ſi præſertim Decoctis Radicum Aperientium addantur.

XLV. Salivam cientia remedia in initio in ſolâ lue Venereâ uſurpata ſunt, jam verò ad aliorum quoque

que morborum curationem per analogiam traducuntur, ne febribus quidem intermittentibus exceptis. An autem per illa feliciter ſatis, & tutò, fermentum febrile excludatur, ego propter defectum experimentorum non dixerim: exemplum habet quartanæ in virgine à ſe hoc modo curatæ *VVillis de Febr. c. 6. p. 150.*

XLVI. Venæ ſectio in his Epidemiis Febribus à nonnullis laudatur, culpatur ab illis. Hoc certum eſt, per eam non ita commodè fermentum excludi, nec ſimpliciter ad has febres curandas neceſſariam eſſe. Cùm tamen, fermento hoc in ſanguinem agente, magna illius fiat ebullitio, & intemperies calida oboriatur, meritò ſæpè adhibetur V. S., ſi nihil aliud obſtet, & præſertim corpora ſint juvenilia, plethorica, & calidæ conſtitutionis. *Cl. Dn. Præſes* teſtatus mihi eſt, ſe in his Febribus Epidemiis obſervaſſe, inſtitutâ, cæteris rectè ſe habentibus, mox in principio V. S., ſymptomata illa gravia (quæ inter initia magis apparere ſupra *th. XIII. & XIV.* dictum eſt) brevi ceſſare, & febres deinde mitiores, certo intermittentium typo, ſeſe exhibere: Præterea, ſæpè inſtitutâ Venæ ſectione maturari, & longè felicius excluſionem fermenti per ſudorem, aut aliâ viâ, fieri, quæ propter nimiam ſanguinis copiam & ebullitionem retardatur. Moneo tamen hoc, diſtinguendum eſſe inter Febres Epidemicas Vernas & Autumnales, Tertianas item & Quartanas, cùm in Vernis magis & Tertianis, quàm reliquis, V. S. locum habeat. Intermittentes Autumnales non ſine ingenti diſcrimine per phlebotomiam tentari, longâ obſervatione ſe didiciſſe, ſcribit *Th. Siddenham. c. 5. p. 94*

XLVII. Purgationes itidem in his Febribus

μίασμα

μίασμα illud minus commodè excludunt, nec ſemper conveniunt. Videas à nonnullis febricitantibus, ſive ex conſilio Medicorum, ſive proprio motu, in longis præſertim febribus, tertianis nothis & quartanis, frequentiſſimè ſumi purgantia, etiam fortia. quæ licet validè purgent, & bilem pituitamque in notabili copiâ educant, tamen, non tantum febres altero die eadem vehementiâ ſymptomatum, & duratione redeunt, ſed & ſæpè duplicantur. Diſtinguendum tamen eſt inter purgantia, illa quæ ἄνω, & quæ κάτω purgant; inter tempus itidem, quo exhibentur: Fermentum enim ipſum ſæpius tolli, & febres jugulari, ſi vomitoria exhibeantur, ſiquetam illa, quàm κάτω purgantia, die ipſo paroxyſmi, paullò ante acceſſionem, dentur, experientia quotidiana docet. Nec negari poteſt, ſi prudens Medicus, concoctione factâ, in tertianis tempeſtivè purget, per illam purgationem, non ſequentem tantum paroxyſmum, ſed totam febrem tolli, certo indicio. fermentum febrile ſimul eſſe excluſum.

XLIIX. Quod ſi fermentum illud extra corpus propelli nequeat, dantur medicamenta, quibus ἐνέργειαν illius tollere licet. Neque enim mihi aliud agere videntur Febrifuga illa, quæ citra omnem ſenſibilem operationem primò paroxyſmos ſuſpendunt, dein totam febrem tollunt. Experientiâ duce primum innotuerunt, nec rationem, quomodo agant in fermentum illud febrile, aſſequi poſſumus, cùm præſertim natura ipſius fermenti incognita ſit: ideoque, quoniam Empiricè illis utimur, ſæpiſſimè nos fallunt, & ſpes miſerorum ægrotantium primò inflant, agyrtarum

rum ſermonibus vaniloquis commendata, deinde deſtituunt.

XLIX. Uſurparunt autem illa Priſci Medici, utuntur iis Recentiores, & apud non-Medicos, ſive ex plebeio, ſive nobilium ordine, frequentiſſimè jactantur & exhibentur. Non libet tamen nunc ea enarrare, cùm in omnium libris extent, paucorum tantum faciam, exempli cauſa, mentionem, ut piperis, (quo vulgus utitur) opiatorum, aluminis, & corticis Peruviani, quem in quartanis potiſſimum laudant.

L. Jam negari non poteſt, ſæpè per hæc medidicamenta planè tolli febrem, quæ cauſa eſt, cur Rationales & prudentes Medici illis quoque interdum utantur, ut μίασμα illud febrile infringant. Non tolerandæ tamen ſunt jactabundæ Empiricorum voces, ac ſi hæc ſint vera febrium intermittentium ſpecifica, rejectâ omni rationali medendi ratione, quæ ab aliis, mox dicendis nominibus, adhibentur. Revera enim nihil agunt interdum, quàm, ſi potens adhuc ſit & valida febris, unum alterumve paroxyſmum ejus ſuſpendant, certâ recidivâ. Quod negare non poſſunt, quicunq; illis uſi ſunt, ne de cortice quidem Peruviano, quamvis illius præ aliis ſingularis potentia contra quartanam ſit. Notabilia ſunt *Williſii* verba *de febr. c. VI. p. 153.* |*Ingenuè fatebor, me nondum vidiſſe febrem intermittentem hoc cortice ſemel exhibito penitus curatam: quin imò non tantum quartanæ, verum etiam tertianæ & quotidianæ febris paroxyſmi, aliis remediis in totum ſuperabiles, hoc pulvere profligari, poſt breve tempus conſtanter redibant. Ob hanc rationem, qui febres intermittentes, alias facilè curabiles, non urgente neceſſitate, hoc pharmaco tantum brevi ſupprimunt, medicinam*

ſcoloſam inſtituere videntur, nec in rem ſuam magis, quam qui ulceri cavo & mox erupturo, citatricem inducunt. Scilicet prudentis Medici manibus tractari vult cortex ille, ut omnia reliqua, Febrifuga dicta. Inconvenienter enim adhibita plurimum quoque nocere poſſunt, ceu *Theſibus XXXVII. & XLI.* dictum eſt; quod evenire arbitror, dum μίασμα febrile non planè à medicamento omni ſuâ vi ſpoliatur, ideoque in corpore reſtans, quamvis febrem non amplius poſſit excitare, ſanguini tamen noxam infert. Poſſet fortaſſis etiam non incommodè dici, quoniam Febrifuga illa vim habent fermentationem ſiſtendi, dum præternaturalem illam febrilem ſiſtunt, naturalem fermentationem, motumque, quo ſanguis continuò vegetatur, ſimul infringere, ut dein ille minus ſpirituoſus, &, ut ita dicam, vappeſcens, ſcorbuto, cachexiæ, & hydropi occaſionem det.

LI. Moneo proinde, (ita enim prudentes Medicos facere vidi) ut hæc febrifuga non temere adminiſtrentur; non adoleſcente, vel adultâ, ſed potius declinante febre, & ſemper interim naturæ motus & ſymptomata omnia diligenter conſiderentur, & conſtitutionis ægroti, temperamentique ipſius habeatur ratio. Ut enim alia taceam, quotidianis exemplis obſervari poteſt, quomodo plebecula piperis cum vino aduſto contra febres uſu, nullo habito corporum delectu, ex recentibus intermittentibus febribus, graves duplices, continuas, & ipſam tandem mortem ſibi conciliet.

LII. Cùm verò, dum μίασμα illud febrile corpore receptum eſt, magna ſanguinis & humorum fiat agita-

agitatio & hinc intemperies in ſanguine, obſtructiones in minoribus vaſis, aliaque mala oriantur, ad illa reſpicere, & maturè medicinam adhibere omninò debet circumſpectus Medicus. Quomodo autem hoc fieri debeat, in veterum libris legere eſt, & qui illos ſequuntur, quippe ad hæc priſci medentes quam maximè attenderunt. Ideoque quamvis hodiè faciliori methodo intermittentibus febribus nos occurrere poſſe, quam à veteribus factum eſt, certum ſit: hoc tamen ab illis diſcere debemus: nec proinde mirum eſt, Medicorum nonullos, qui veteres, & illorum ſequaces ſuperciliosè contemnunt, hæc ignorare, ſeque in curando proſtituere, ægris verò periculum creare.

LIII. Quamvis igitur V. S. Purgatio, Aperientia Decocta &c. non Fermentum ipſum ſtatim excludant, & Febres jugulent, tamen in curatione febrium intermittenda non ſunt, vel modò dictis nominibus, ad intemperiem corrigendam, obſtructionesque tollendas, ne febre ſublatâ, alii morbi, graviores ipsâ febre, vel reſtent, vel naſcantur. De purgatione ſub finem febris egregia ſunt verba *Th. Siddenham l. c. p. 104.* & merentur hic integra recitari. *Sublato*, inquit, *morbo æger ſedulò purgandus eſt; incredibile enim dictu, quanta morborum vis ex purgationis defectu poſt febres Autumnales ſubnaſcatur, Miror autem, hoc à Medicis minus caveri, minus etiam admoneri. Quandocunque enim horum morborum alterutrum paullò provectioris ætatis hominibus accidiſſe vidi, atque purgationem etiam omiſſam, certò prædicere potui, periculoſum aliquem morbum eosdem poſtea adoriturum, de quo tamen illi nondum ſomniaverant, quaſi perfectè jam ſanati.*

LIV. Non minus autem, dum hæc fiunt, ſym-

ptomatum haberi ratio debet, nec Vitalis indicatio negligi. Quæ tamen cùm in omnibus vulgaribus libris abundè tractentur, conſultò hîc à me prætermittuntur, dummodò id unum diligenter moneam, in quo peccare Empiricos video, ne, dum quibusvis medicamentis his vel illis ſymptomatibus occurrunt, excluſionem febrilis fermenti, motumque naturæ aliquem ſalutarem impediant.

LV. Quæ de Diætâ dici poſſunt, ex libris quoque petere juberem, niſi pauca dicenda eſſent de victus ratione in febribus intermittentibus Chronicis. Cùm enim experientia doceat, ægros à cibis, quibus vel aſſueti ſunt, vel, ad quæ tum temporis ſingulari appetitu feruntur, non tantum malè aut peius non habere, ſed ſæpè melius, imò interdum ſtatim poſtea febrem eſſe ſublatam: Cùm, inquam, hæc experientia oſtendat, non debent Medici nimis eſſe rigidi in cibis illis vetandis, quos alias febri & ventriculo debili minus convenire, partim ratio, partim experientia docet, ſed indulgere nonnihil, dummodò nimiâ quantitate ægri ſe non ſaburrent, unde inprimis vel exacerbari febris, vel quodammodo ſublata recidivare obſervatur. Quod ſi illi cibi febrem non minuunt, pigritiam tamen nauſeantis ſtomachi excitant, qui *ſolutus & langvidus æſtu ſuo quærit aliquid, quo erigatur*, verba ſunt *Senecæ nat. q. l. 4. c. ult* Hoc verò in febribus bonum eſt. Et huc pertinet *Hippocratis aph. 38. ſect. 2. Paulò deterior, & potus, & cibus, ſuavior tamen*, (hoc eſt, magis gratus appetenti) *melioribus quidem, ſed inſuavioribus, præferendus.*

F I N I S.

Pœoniam LADEIE colens feliciter artem,
Et varii generis docte fugare febres,
Dum cathedram pulchrum certare paratus agona
Scandis, ut acquiras nominis inde decus,
Gratulor his cœptis: ex illis multa precatus
Vt bona ſint aliis, ſint oritura tibi.

Honori nobiliſsimi Domini CANDIDATI, fautoris & amici dilectiſsimi, boni ominis ergò ſcripſi
GERHARDVS TITIVS
S. Theol. D. P. P. Ordin.

Ad CLmum Dn. CANDIDATVM
Amicum ſuum.

SIc Tibi congenitæ ſe prodidit indolis ardor,
Vt ſolet igniculi latitantis: ſic Tua virtus
Emicat, ut poßint exemplum imitarier omnes.
Hinc Te tantus honos, hinc gloria tanta manebit,
Quanta decet Themidis cultores, quanta Minervæ.

gratulab. ſcr.
HENRICVS RIXNERVS
S. Theol. D, ejusq; Prof. Ord.

Herbarum

Fidiſſimo atq; amantiſſimo
Conjugum Pari,
VIRO
NOBILISSIMO SPECTATISSIMOQUE,
DOMINO
GEORGIO Thor Straeten
Civi ac Mercatori dexterrimo & præcipuo, Flensburgenſis Civitatis Senatori meritiſſimo, futuro ſocero perquam honorando;
MARITÆ
NOBILISSIMÆ PRÆSTANTISSIMÆQUE,
DOMINÆ
MARGAR. DOROTHEÆ Reimers/
Futuræ ſocrui inſignite amandæ:
Ut &
FILIÆ,
Variis ſexus ſui virtutibus decoratiſſimæ,
VIRGINI
MARGAR. DOROTHEÆ Thor Straeten/
Sponſæ ſuæ dilectiſſimæ,
qualecunque hoc
in perpetui cultus & amoris pignus
conſecrat
AUCTOR.

DE ARGUMENTO DISSERTATIONIS NOSTRÆ GENERATIM,

Tractandæque materiæ novitate ac præſtantia.

CAPUT PROOEMIALE.

DE Odontalgiâ, manuum tactione ſedanda, diſſertaturis non opus eſſe præviâ quâdam *Odontalgiæ* vocis enodatione videtur, ceu quæ nemini, niſi qui in Græca lireraturâ tyro ſit, ac planè rudis, incognita eſſe poſſit, & peregrina. Cœtera autem, ut omni ſenſûs difficultate careant, aſſenſionem quidem & comprobationem primò aſpectu de rebus judicantium vix captabunt. Etenim vel παράδοξον hi dicent dolorem dentium, tactûs quandam offenſam, *tactu* comprimere atque reſtinguere velle, cùm is ſæpe tam magnus & acerbus ſit, ut ne molliſſimæ quidem linguæ admotionem, imò nec leviſſimi quidem aëris appulſum, ſine ſummâ moleſtiâ perferre queat: vel incredibile id ideo videbitur, quòd cauſas doloris tam varias atque multiplices manuum tactus neque removere, neque corrigere, potis ſit. Præſertim cùm non externò frigore ſolùm & ſeri acris affluxu, verùm & ciborum aſperitate, & vermiculorum roſione ægritudo nonnunquam denti concilietur, quæ non, niſi ſublata penitus causâ, demum deſinat. Atque adeo aut venditationis cujusdam & jactationis nos accuſabunt, qui odontalgiæ *ſedationem* polliciti fuerimus; aut, ſi quidem cum levamine hæc ipſa fiat, eam tamen fore omninò palliativam, uti vocant, h. e., infidam, inconſtantem, itemque ſpecioſâ publicâque commendatione vix dignam

exi-

exiſtimabunt. Sed nec deerunt fortaſſis novitatum cupidi, at-
que argumenti admiratores, qui illicò Methodum hanc no-
ſtram ad mirandam magis, quàm imitandam, curationum claſ-
ſem referre voluerint; contrà atque alii, alienarum rerum con-
temtores, qui, cujus ipſi Authores non exſtiterunt, id omne
non conſultâ experientiâ, rejiciunt. Equidem facillimum fore
illorum in gratiam hoc, quodcunque ſit, inter *κειμήλια* Practi-
ca nobismet unis aſſervare, ac Pulvere Cœleſti, Tincturâ qua-
dam Angelicâ, aut,

- - - quod eſt longè ſublimius iſtis,

Divini cognominis medicamine, ceu velamentô, artificium diſ-
ſimulare noſtrum, atque obtegere; At piaculum duximus a-
gyrtarum morem ſequi, & per inſimulationum involucra ple-
beculæ credulitate ſæpius abuti. Præcipuè, cum ſic vel præ-
ſentes ſimul omnibus eſſe nos oporteret, nî fallaciam tandem
detectam, atque adeo in ignominiam artis Medicæ, & in ejus-
dem contemtum, cedere vellemus divinam prorſus hanc en-
cheireſin. Quæ, præterquam quod novitate ſeſe com-
mendet, eâ etiam pollet virtute, quâ morbum, quem *maxi-
mis annumerari poſſe tormentis Celſus* ait *L. VI. c. 9.*, veluti objectô
Gorgonis capite, momentaneô, aut certè perexiguô temporis
ſpatiô, ſedare, ægrumque adeo ê magnis & moleſtiis & peri-
culis eximere queat. Neque enim, niſi ab inexpertis, parvi hic
habetur dolor, quòd graviſſimis nonnunquam ſtipari ſoleat
ſymptomatibus, quin & ipſam mortem pediſſequam habere.
Exempla, ab Auctoribus nobis relicta, paſſim reperiet, quis-
quis paululum curioſior hanc in rem inquiſiverit: vid. præter
alios *Vit. Riedlinus Lin. Med. A.* 1696. *m. Nov. Lin.* 14. *Platerus Ob-
ſervat. L. II. p.* 380. *Tulpius L I. Obſ. med.* 36. Imo nec deſunt no-
bis, â fide digniſſimis relata, eorum, qui vitam, tantùm non
omnibus acceptam, præ dolore longè acerbiorem ipsâ morte
putarint, atque inde propriam ſibi adſciverint manum. Ope-
ræ igitur pretium nos facturos rati ſumus, ſi diſputationis Inau-
guralis loco publicâ nunc luce comparere ſinamus inventum, ne-
mini, ut nos quidem putamus, compertum, nullibi certè apud

Scripto-

Scriptores hactenus commemoratum. Quod demum ut bonis auſpiciis fiat, DEUM T. O. M., univerſi hujus præpotentem Rectorem, ſuppliciter & ex animo oramus.

CAPUT I.

DE

Salubri in Morbis Tactu generatim.

SOlô contactu humani corporis morbos feliciter perſanandi ritum jam olim, plurimis abhinc ſeculis, & Veteribus fuiſſe cognitum: *Pyrrhi*, Epirotarum Regis, exemplô potiſſimum patet. Cujus in dextrò pede pollici eam tribuunt virtutem nonnulli Scriptores (a); quæ leviori ſolùm tactu omnem lienoſis depellere moleſtiam potuerit. Et quamvis de eo ſingulare, omnemque fidem ſuperans, ſimul enarretur: non potuiſſe ſcilicet hunc, ut reliqua corporis membra, buſti flamma prehendi, nedum comburi; Tamen falſitatis inde totam arguere velle hiſtoriam, inconſiderantis eſſet, & parum rectè judicantis facinus. Præſertim quum nec poſterioribus ſeculis deſint ſimilis argumenti exempla, ab Auctoribus locupletiſſimis deſcripta, quæ, quoniam in rem noſtram apprime faciunt, hic integra inſeremus. *Suetonius de Veſpaſiano* ita ſcribit: *E plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure, ſedentem pro tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudinis, demonſtratum a Serapide per quietem, reſtituturum oculos, ſi inſpuiſſet: confirmaturum crus, ſi dignaretur calce contingere. Cum vix fides eſſet vim ullo modo ſucceſſuram, ideoque ne experiri quidem auderet: extremo hortantibus amicis, palam pro concione utrumque tentavit: nec eventus defuit.* Idem paulo uberius recenſet *L. IV. Hiſtoriarum Tacitus*, niſi quod is *manu ægrum* dicat, quem ille *crure* exſtitiſſe *debili* affirmat.

(a) *Plutarchus in hujus Vita, Plinius L. VII. c. 2. & XXVIII. c. 4.*

Convenit certe inter utroſque pedis contactu in integrum fuiſſe redditam ſanitatem membri. Pertinere huc non minus videntur exempla *Ælio Spartiano* de *Adriano* tradita, quæ eodem etiam propoſito Cl. *Morhofius in Principe* ſuo *Medico* adducit: *Adrianus ultimo vitæ tædio jam affectus, gladiô ſe transfigi a ſervis juſſit*, &c. *Ea tempeſtate ſupervenit quædam mulier, quæ diceret ſomniô ſe monitam, ut inſinuaret Adriano, ne ſe occideret, quod eſſet bene valiturus: quod cum non feciſſet eſſe cœcatam: Juſſam tamen iterum Adriano eadem diceret, atque genua ejus oſcularetur, receptura viſum, ſi id feciſſet. Quod cum inſomnium impleſſet, oculos recepit, cum aqua, quæ in fano erat, oculos abluiſſet. Venit & de Pannonia quidam natus cœcus ad febrientem Adrianum, eumque contigit: quo facto & ipſe oculos recepit, & Adrianum febris reliquit: quamvis Marius Maximus hæc per ſimulationem facta commemoret.* De Comitibus Habsburgicis ita *Felix Fabri Hiſt. Suevor. L. I. c.* 15. *Notorium eſt, & ſæpe probatum, quod dum quis balbutiens eſt, vel impeditioris linguæ, ſi ab uno principe de præmiſſis, ſine alio quocunque ſuffragio, oſculum acceperit, officium loquendi diſertiſſime ætati ſuæ congruum, mox potenter obtinebit.* Neque credibile eſt ante Pyrrhum, antiquioribus longe ſeculis, fuiſſe prorſus neminem, qui idem tentare ſubinde fuerit auſus, quamvis Hiſtoricorum monumenta nullam nobis ſimili de re fecerint mentionem: fortean quod juxta Poëtam:

- - - - obſcura nocte tegantur,
Vate quia carent ſacro;

Sive quod facta demum præclara fabularum commentis involuta, planeque corrupta fuerint. Quemadmodum Circen olim Poëtæ ferunt humanum vultum, & reliqua corporis membra in beluam protinus immutaſſe, ceu

quæ tetigit virga ſummos Dea dira capillos;

Eandem rurſus pro lubitu priſtinum corporibus ſtatum reſtituiſſe tangendo. Quo quidem commento nobis potiſſimum innuere videntur iſti, *Circen*, ſolis filiam, quæ a Tactu, ſeu Manibus

bus, nomen adepta eſt, (b) plurimasque herbarum virtutes cognovit, & nocere hominibus, & prodeſſe tactu potuiſſe. Verum miſſa hæc faciamus, quod manuum attactum hæc non adeo prope concernant, ad quem noſter præcipue collimat ſcopus.

Caput. II.

De

Salubri Manuum Tactu ſpeciatim.

INter Veteres Hierophilus, Medicus Græcus, apud *Galenum de Compoſit. Medic. L. VI.* medicamina ob ſingularem & pene divinam virtutem θεῶν χεῖρες, & apud *Scribonium Largum in Epiſt. ad Jul. Calliſt. Deorum manus* appellavit: *vid. Jo. Rhodii notæ in h. l. Barthii Adverſar. L. XLVIII. c. 19. Cœl. Rhodig. antiq. lection. L. XXIX. c.* 11. Nos vere divinas manus in ſanandi iſto opere agnoſcimus, quo generis humani *Servator* ejusque *Diſcipuli* ſub N. T. ævo ſunt uſi, quippe qui manuum nonnunquam impoſitione (c) contactu (d) ut & apprehenſione, (e) ægros liberare morbis conſueverunt. Alioquin per tactum morbos curandi exempla non una nobis exhibuerunt proxima demum ſecula: Sic *Antonius Benivenius*, non infimi ſubſellii quondam Medicus, *de Abditis nonnullis ac mirandis morborum ac ſanationum cauſis libro cap.* 45. ſcribit, Joanniam Benciam, cognatam ſuam, cum fruſtraneo labore, omnibusque medicamentis incaſſum adhibitis, alvi fluxum, quo per multos annos laboraverat, ſiſtere ſtuduiſſet, eoque nunc res deveniret, ut malum quotidie magno cum vitæ periculo augeſceret, tandem omni ſpe perdita, quod a Medicis derelicta fuiſſet, Domini-

(b) Vid. *Roſinus Antiq. Roman. annot. ad Dempſteri L. II. c.* 10. qui e veteri codice Micto locum Fulgentii ſic reſtituit, ut Circe ſit quaſi Χειρῶν κριτή. (c) *Marc. V. 23. VI. 5. VII. 32. & ſeq. VIII. 23. & 25. XVI. 18. Luc. IV. 40. XIII. 13. Act. XIV. 3. XXVIII. 8. d. Matth. VIII. 3. IX. 29. Marci. I, 41. Luc. XXII. 51.* (e) *Matth. VIII. 15. Luc. XIV. 4.*

minicum Piſcienſem Monachum, enixe rogaſſe, ut animo non tantum, ſed & corpori, extremo morbo ægrotanti, auxilium afferret: *Quod cum ille ſe facturum pro viribus annuiſſet, admota manu mulieris caput compreſſiſſe: Tum fuſa oratione ac ſigno Crucis ibidem impreſſo, abire juſſiſſe*; eo certe cum fructu, ut poſtea, ad tertium ab hoc morbo annum, integre convaleſceret. De *Franciſco Bagnone*, Monacho Capucino, B. Conerdingii, Junioris, ad Kirſtenium epiſtola (f) refert, *plurimos eum morbos ſolo contactu curaſſe: Et virginem Aulicam, Corſiniam Scotti, quæ duos annos lecto affixa cum bona valetudine in gratiam redire non poterat, ſolo contactu ab ipſo curatam fuiſſe*. Verum hic longe plures facundia ſua, & excitata in Deum fiducia, ſanare ſine omni tactu viſus eſt. Quale facinus & *Marcum Avianum*, itidem Monachum Italum, ſimili cum eventu, hoc eſt, admodum fallaci, peregiſſe notum eſt: (g) quem ut & Servatores Italorum, (vulgo *Salvadori*) *Saludadores* (ſalutatores) & *Enſalmadores* Hiſpanorum, (h) nec non in vicinia noſtra quondam clarum, Joannem Thomæum, (i) (vulgo *Jean Thamſſen*) Ripis-Cimbrum, lubentes hic præterimus. *Balliolorum* autem in Gallia illuſtris familia non æque ſubticenda eſt, quam miris curationibus, quæ manuum tractatione fiunt, fuiſſe celeberrimam ex *Scævolæ Sammerthanæ Elog. L. V. p.* 142. *ſeqq.* comparet: qui una *Pſyllorum* & *Marſorum*, antiquiſſimarum apud Ethnicos familiarum, mentionem facit. Sed præſtat eas ex ipſismet fontibus derivaſſe. *Plinius L. XXVIII. c.* 3. ſic ſcribit: *Quorundam hominum tota corpora proſunt, ut ex his familiis quæ ſunt terrori ſerpentibus, tactu ipſo levant percuſſos, ſuctuve modico. Quorum e genere ſunt Pſylli Marſique, & qui Ophiogenes vocantur in inſula Cypro*, ſive, ut hic locus ex alio quodam *Plinii* corrigitur, *in Helleſponti Pario*. Nam *L. VII. c.* 1. ita legimus: *Crates* Pergamenus *in Helleſponto circa* Parium *genus hominum fuiſſe tradit, quos Ophiogenes vocant, ſerpentium ictus contactu levare ſolitos, & manu impoſita venena extrahere corpori. Similis & in Africa Pſyllorum*

gens

(f) Vid. *Cl. Pechlini L. III. Obſerv.* 32. (g) Vid. *Cl. Pechlin. c. l. & Tentzelius in colloq. menſtr. A.* 1692. *p.* 385. *ſeqq.* h. leg. *Morhof. Med. Princeps: Zentgraffius de Tactu Reg. Tr. Diſp. poſter.* §. 3. (i) vid. *Pechlin. c. l. Joſephi Glanvil Sadduciſmus Triumphatus* Parte *I. p.* 94. *ſeqq.*

gens fuit. Horum corpori ingenitum fuit virus exitiale ſerpentibus, cujus odore ſopirent eas Eumque *Strabo*, ſatis locuples ac diligens Scriptor, teſtimonio etiam ſuo hunc in modum firmat: *Parium Civitas eſt juxta mare, quæ majorem portum habet quam Priapus ex ea aucta. Nam Pariani, Attalicis obſequentes, ſub quibus eſt ager Priapenſis, multum ex horum regione abſciderunt, permittentibus quidem illis. Hoc in loco finxerunt Ophiogenes cognationem quandam cum ſerpentibus habere: proditum eſt enim mares ſerpentium morſibus remedio eſſe, ſi eos continuo attigerint, quemadmodum incantatores: ac primo livorem transferre, poſtea tumorem ac dololem ſedare. Gentis hujus auctorem tradunt heroëm quendam ex ſerpente immutatum, qui fortaſſe unus aliquis fuit ex Libycis Pſyllis. Vis autem ea aliquandiu in genus permanſit.* De quodam ſcriba non minus enarrat *Borellus Hiſt. & Obſ. Cent. II. Obſ. 90. eum innumeros curaſſe & adhuc curare febricitantes ſola brachiorum frictione.* Deinde etiam *in Emphyſemate doloribusque Ventriculi notus* Cl. Pechlino *fuit, qui felicem in ſe expertus manus* ἐπίθεσιν, *aliis quoque magno emolumento eum commendare ſolebat, L. III. Obſ.* 30. Porro & in *Actis Philoſophicis Anglorum A.* 1666. *m. Maj. n.* 6. mentio fit *fabri cujusdam ferrarii, honeſti viri, qui non ſolum medicata ſua manu vectes ferreos in laminas verterit argenteas, ſed & peculiari facultate præditus fuerit excitandi vomitum demulſo ſtomacho, ventremque laxandi ejus attrectatione; denique leniendi arthritidem, aliosque dolores, palpando partes affectus.* Inter præcipuas tamen & admirandas per manum ſanationes, quas ſecula unquam oſtenderunt, primo merito loco *Valentini Greatrakii*, Nobilis Hyberni, habenda perſanandi ratio erit, quam prolixius peculiari quodam libro, Anglico, breviter vero apud *Pechlinum* (k) & *Joſephum Glanvil* (l) deſcriptam lege. Hodienum nonnullis Principibus, Angliæ nimirum & Galliæ Regibus, in more poſitum eſt, ut applicita manu ſtrumas feliciter ſæpius abigant: de quo prolixius egit Celeb. *Morhofius* in Diſſertatione illa, cui *Principis Medici* nomen inſcripſit: itemque commemoratus *Zentgraffius Diſput. duabus, de Tactu Regis Franciæ Witteb. A.* 1670. habitis. Idem donum ſtrumoſos ſanandi Comitibus Habsburgicis a *Fel. Fabri Hiſt. Suev. L. I. c. 15.* (qui tamen

(k) *L. III. Obſ.* 31. (l) *cit. l. p.* 89. *usque ad* 93.

men non tangente, ſed potum præbente manu, hoc fieri ſcribit) & maſculis ſeptimis, non interrupta puellis ſerie genitis, tribuitur ab aliis. (m) *Valdeſius de dignitate Regum Hiſpaniæ ex Beutero eandem Regibus Hiſpaniarum curandi gratiam conceſſam eſſe aſſerit*, teſte *Morhoſio*. (n) Quin & Reges Hungariæ quondam tactu curaſſe morbum regium e *Camerario* refert *Happelius*. (o) Verum ſingularis admodum eſt hactenus recenſita per contactum medicina, quæ a quibusvis æque adhiberi nequit. Diſpiciendum itaque nunc eſt, quem etiam vulgatus manuum uſus nobis polliceatur fructum: Omiſſis vero percuſſionibus, de quarum ſalutari eventu peculiare opuſculum linguâ vernaculâ nuper edidit diligentiſſimus P*aullini*, *Flagellum Salutis* nuncupatum. Frictiones nos, palmarum preſſus, contactus lenes, &, ſi quæ ſunt cœteræ manuum operæ, ê ſcriptorum obſervationibus delibabimus. Equidem reperiuntur gentes, quarum omnis ferè morborum cura in membrorum perfrictione, atque attactu, conſiſtit. Et tactus quidem, in curandis corporum vitiis apud Circaſſios aniculis conſueti, meminit *Tavernerius Itiner. T. I L III. c. 12.* De Braſilianis P*iſo* (p) ſic ſcribit: *Mira equidem, tum tuendæ ſanitatis ergo, cum in plerisque morbis ſanandis, frictione & unctione frequenti incolæ præſtant, illam frigidioribus & chronicis, hanc in acutioribus adhibentes. Quæ remedia lubenter advenæ imitantur, & ut par eſt, ex legibus artis hæc & plura medendi Empyricorum genera moderantur.* Veteribus etiam Ægyptiis, præter alia ſalutis remedia, quemadmodum hodiernis etiam Turcis (q) omnibusque Aſiaticis gentibus, (r) & balnea & frictus erant uſitatiſſimi: atque ex triplici fricandi genere iſtis primum dicebatur, quod volis manuum inſtitui ſolebat, teſte *Alpinô* (s) Quin & *Galenus de tuenda ſanitate* non ſolum corpus ſervari ſanum, verum & febres, ex cruditatibus ortas, frictionibus curari debe-

(m) vid. *Zentgraffius c. l. Diſp. poſt.* §. 5. (n) Vid *Ejus* Princeps *Medicus*. (o) *in Relat. carioſ.* Part. *I. pag.* 19. (p) *Hiſt. nat. & med. L. II. c.* 5. (q) Vid *Rauwolfii Hodœpor. cap.* 2. *Salom. Schweigerus L. II. c.* 33. *aliique* (r) leg. *Mandelsloh*, *Georg. Anderſonius & Joh. Jac. Saar cap.* 2. *p.* 30. (s) *de Medic. Ægypt. L. III. c.* 18. *& ſeq.*

debere affirmat. Et verò ab hujus aſſeclis ſæpius easdem commendari paſſim in monumentis antiquorum reperias. In Italia certe etiam nunc nihil frequentius eſſe fertur, palmarum, lacte, vel decocto malvæ, irrigatarum, ad utraque ſpinæ dorſi latera forti admotione, atque earundem deorſum verſus ad calcaneas usque repetitis tractibus. Quam operam, ſive lenem frictionem, incolæ *fare le freghe* (facere frictionem) ſua lingua vocant, plebi, vel cum vel ſine Medicorum conſilio, in capitis & lumborum doloribus, imbecillitatibus corporis, ac plurimis aliis morbis, matutino ac veſpertino tempore, uſitatiſſimam, ac ſummè proficuam. Noſtra tempeſtate quamvis alibi in frequenti adeo uſu frictus non ſint, tamen penitus e Medicinæ foro non ejiciendos eſſe, & ratio ſuadet, & longinquus rerum uſus. Sanguini enim ac lymphæ, per vaſa capillaria tardius recurrentibus, novum quendam indunt motum ac calorem, quo, ſimul humores attenuante, tranſpirationem forte diminutam augent, & ſpirituum concitando affluxum membra corporis & robuſtiora reddunt, & ad res peragendas magis habilia. Idque luculento ſatis exemplo declarant *Acta Anglorum* Philoſ. cit. ſupra loco, ubi pedes, ex ingenti dolore omnino infirmos ac debiles, in integrum plane reſtitutos fuiſſe ſolo matutino veſpertinoque canis lambitu notatur. Quod ſi mollior ejuscemodi frictio, qualis certe lambitus is eſt, tantarum ſit virium, quid nobis de prudenter uſurpata, ac paululum duriori, ſperare non licebit? Eo ſane pacto & capillorum pexum, frictionis inſtar in matutinum uſum cedentem, egregie conducibilem eſſe monet Celeberrimus *Pechlinus*, qui *L.* III. *Obſ.* 10. *noviſſe ſeſe* ſcribit, *quibus non aliter, quam a pexu forti atque indentidem frequentato, matutini capitis dolores propulſi ſint.* Similem in Gallia perſenſit fructum virgo quædam hemicrania menſtrua cum vertice capitis tunc ita intumeſcente laborans, ut ubicunque impreſſi digiti veſtigia ſui relinquerent: enimvero huic innoxio quidem, ſed moleſtiſſimo naturæ conatu vomitus vehemens periodos finire ſingulas ſolebat ante, quam, Celeberrimi Excellentiſſimique Do-

mini Præſidis, Fautoris ac Promotoris maximopere venerandi, conſilio admodum ſalutari obſequuta, octiduano pectinis uſu malum hoc unoquolibet menſe egregie anteverteret. Neque quiſpiam in alendis equis curioſior facile ignoraverit, quam ſit utilis iisdem ac commoda ſtrigilum uſurpatio. Imo Boylæum aliquando edocuit Helmontius, poſſe in lacte aſinino, recenter emulſo, ſapore internoſci, pexum eo die animal iſtud ſit, anne minus. (t) Merito igitur in *Vitæ & Mortis Hiſtoria* ſua paſſim & ad ſanitatem & ad humanæ vitæ longinquitatem frictum adeo commendat Illuſtriſſimus *Baco Verulamius.* * Ac de hujus quidem non negligendo uſu ſic ſatis a nobis dictum exiſtimamus. Mentio nunc etiam aliqua injicienda eſt ſive perfrictionis, ſive tactus, qui vel hominis jamdum demortui manu fieri vulgo ſolet ad aſperitates cutis, cumprimis ſtrumas verrucasque tollendas. Certè vivi hominis manum, vitali calore temperatam, in Tumoribus abigendis, præſertim a flatu extenſis, aliquid poſſe, & ratio dictitat, & teſtantur etiam Medici non vulgariter docti; (u) Idem vero frigidum defuncti tactum nonnunquam præſtare, multis fortean videri poſſit abſonum. Experimenti tamen veritatem exemplis non unis oſtendunt Viri auctoritate graves, ac longè experientiæ gloria clariſſimi: Quæ quidem huc adduxiſſe lubenti cum animo exoptaremus, ni uberius paulo hanc noſtram increſcere modo ſentiremus operam. Benevolum igitur Lectorem, harum rerum cupidum, ad ipſos Auctores ablegamus: videlicet *Helmontium*, Opuſc. *Demens Idea §. 46. Boylæum c. l. cap.* 11. *Act. Philoſ. c. l. Th. Bartholin. Cent,* III. *Obſ. Anat.* 66. aliosque.

CA-

(t) Vid. *Rob. Boyle uſefulneſſe of Natural Philoſophy Eſſ. V. cap.* 15.

* *Conf. Paullini Flagell. Salut. Sect. IV. c.* 4.

(u) vid. Cl. *Pechlinus L. III. Obſ.* 30.

Caput. III.

De

Salubri Manuum Tactu in compeſcendis Doloribus, præſertim in Odontalgia ſedanda.

SAlutarem manus uſum, non tantum quibusdam hominibus peculiarem, verum & pervagatum plurimisque nationibus familiarem, cumprimis frictus utilitatem oſtendimus. Videndum porro erit, quanta ſit contactuum in ſopiendo corporis moleſtiſſimo ſenſu virtus. Equidem cruciatus iis longe acerbiſſimos accidere comperimur, quorum partes affectæ, tumores, vulnera, aut ulcera, valde dolentia, inepte atque improvide applicitis manibus attrectantur; uti id a Chirurgorum vulgo fieri, indeque ſtatum ægri pejorem multo reddi, quin & vulnerum ſanationem quam diutiſſimè differri, ſæpius notamus. Verum longe alia ratio eſt tactionum, prudenter, &, ut ſecundum Artis normam decet, adhibitarum. Quibus intenſiſſimos nonnunquam dolores (ut indoctis imperitisque hoc παράδοξον videatur) ægrumque adeo, eorundem ferocia victum, ab animi, vel deliquio, vel furore, continere licebit. Scilicet, vel lippis tonſoribusq; cognitum, quanta ſit manuum efficacitas in cephalalgia mitiganda, cumprimis ubi ſuturarum cranii vel immineat, vel facta demum ſit aliqua disjunctio. Et vero vidit *Cl. Pechlinus* (x) *Hamburgenſem fœminam, graviſſimis capitis doloribus, a ſuturarum diſceſſu ortis, affectam, ab admotis vehementius filiæ manibus ſolatium expertam fuiſſe, mox iterum ad remiſſiorem contactum invaleſcente dolore.* Legatur hic quoque *Bootius L. de affectibus omiſſis cap. 4.* In multis aliis humani corporis morbis quid non inde perſentiſce-

(x) *cit. loco.*

re nobismet videmur ſolatii. Quod ſane ſæpiſſime laudatum Pechlinum, magnæ exiſtimationis Virum, permovit, ut ſingulares tactus manuum laudes peculiari quodam titulo ac nitidiſſimo, ut ſolet, ſtylo perſequeretur. Atque adeo neminem vitio nobis daturum eſſe autumamus, quod maximi momenti verba, præcipuè quæ convenire exactè noſtro propoſito videntur, ex obſervationibus ejusdemmet mutuata, huc pertrahamus. Sunt autem talia: *Quid in mitigandis doloribus manuum tactus poſſit, vix quisquam eſt, qui non experimento domeſtico didicerit; neque vero ſimpliciter admota manus, quæ & ipſa calore ſalubribusque effluviis plurimum poteſt, ſed & compreſſio, etiam vehemens, plurimum conducere videtur. Tumores quosque & extenſiones a flatu manus commode admota pulchre temperat, imo, ſi fortius applicetur, etiam laterum dolores puncturasque imminuit, dum nimias Thoracis Coſtarumque expanſiones, quæ fibras doloremque augere ſolent, preſſione compeſcit. Mirificum etiam in Hypochondrii ſiniſtri doloribus, Splenem vulgo vocant, manus admotæ remedium; eſt enim, ubi alia non ſunt, quæ juvare poſſint, præſens in benefica manu ſolatium, &c. Dolores Nephritici ſæpe & ipſi, ſi ad latera & inania ventris convertantur, magnum a manu accipiunt delinimentum. In Veſicæ Calculo, qui colis glandem excruciat dolor, nullo alio, quam perpetui contactus frictusque mitioris remedio temperatur. In Capitis, Dentium & Aurium doloribus quid manuum fortior applicatio poſſit, etiam vulgo notum eſt, quid quod ipſi illi dolores manus beneficium ultro perſæpe provocent.* Siſtimus hic gradum, quod reliqua, quæ apud laudatiſſimum Auctorem ſeqvuntur, jam dum ſuperius, ſuo quælibet loco, a nobis ſint adducta: Et cum in hiſce ob argumenti evidentiam verborumque pondus tantum non omnia ſic conſtituta ſint, ut vel majoris ornamenti, vel probationis dilucidioris non indigeant, noſtræ Diſſertationis filum, quod fuſiori eorundem inſertione abruptum quaſi cernitur, iis, quæ de dolore dentium habet Celebratiſſimus ſcriptor, rurſus ſubnectimus. Nempe videri poſſit πρόβλημα noſtrum non adeo novum, quod hic à Cl. Pechlino doloris dentium, tactu ſedandi, paulo ante mentio quædam fiat, quin & Cardanus ætate jam tum ſua acerbiſſimi ex dente doloris, pariter, h.e. attactu,

ſopiti,

ſopiti, aperte meminerit. Porro autem increpandi etiam nos putabimur, qui non ſolum in Præfamine noſtro, ſed & tanto cum verborum apparatu eam promiſerimus ἐγχείρεσιν, quæ momentaneo opere omnem protinus ſiſtat doloris ſenſum; ſive enim genis admovere manus, ſive ipſismet dentibus cum Cardano, velimus, utrobique illudi quaſi videbimur fallaci ſæpius experientia. Sanè, ſi quidem cum iſtis dentium curationibus omnino conveniat etiam noſtra, pervulgatam eandem, nedum novam, dici poſſe confitemur: neque etiam ſimpliciter, & ad tactum, ſed ad tangendi modum, reſpicientes, planè novam æſtimavimus, quam hic deſcribimus dentium medicinam. Verum enim verò longè diverſiſſima ea eſt, & a communi, & ab illa ſimul tactione, quam Cardanus, ceu ſingularem nobis reliquit. Interim de experimento utroque nobis quam maxime gratulamur; opinantes noſtram inde methodum eò facilius apud doctos aliquam aſſequuturam eſſe fidem, quod, dum Clariſſimi ambo Viri jam tum oſtenderint ὀδονταλγίαν tactu, ſi non ſemper, ſaltim aliquando atque inſigniter, mitigari poſſe, nos modo tangendi rationem præbeamus, qua ſemper, protinus & planè tolli dolorum ſenſus queant. Diſcrimen autem ut magis pateat, en! omnibus verbis expreſſum *Cardani* locum præmittimus: *Nuper cum hoc ſcriberem, dolor acerbiſſimus duos ultimos maxillæ ſiniſtræ ſuperioris dentes vexabat: unde conſenſu quodam & alios omnes ſuperiores ejus partis dentes affligebat & maxillam totam, adeo ut os excuti videretur: tum etiam oculum & aurem & naſi partem eandem vehementer urgebat, nec ullo auxilio abſcedebat, ſed intermittens quandoque revertebatur. Dextra manu dentes apprehendebam, diſtrahebam, nihil proficiebam. Tandem caſu aliquo inveni, quod ubi ſiniſtra manu leviter apprehendiſſem dentem, qui magis vexabatur, ita ut pollice partem exteriorem, indice interiorem comprehenderem, ſtatim non ſolum dolor illius dentis, ſed & totius partis ſedabatur. Illud vero mirabilius, quod quantò levius tangebam, tanto celerius ac perfectius dolor ſedabatur. Fiebat autem ſedatio hæc confeſtim: & hoc, cum rediret dolor, ſæpius plus quam vicies ſum expertus, donec ſic ſponte abſceſſit, & liberatus ſum.* Nos neque manu malis applicita, neque admotis denti digitis malum

comprimere conamur, verum uno ſaltim digito, ſive indice, ſive alio, unicum in externa aure locum paulo preſſius, & momenti temporis ſpatio circiter, attingimus: Et, ſi quidem in ſiniſtra maxillarum parte dentes ægritudo vexet, ſiniſtram, ſin in dextra, dextram aurem premimus. Locus autem ſupra meatum auditorium, quam proxime Antitragum, in ipſa illa eminentia eſt ſitus, quæ a tuberculo hocce in concham transverſo ductu vergit, atque ne a tandem ſub ſcapha obliteratur.

Caput. IV.

De

Diſcrimine contactuum ſingularium, eorumque operandi modo generatim.

Exemplorum, quæ Tactus ſalubritatem, non ſine magna admiratione, oſtentant, haud exiguum conſpeximus numerum. Verum videri hic multis merito poſſit quaſi quædam farrago, quæ ad turbandum magis, quam illuſtrandum, in tanta rerum caligine, mentem lectoris idonea ſit, atque accommodata. Neque enim Hiſtorici munus hac ipſa diſſertatione in nos ſuſcipere voluimus, quamvis, ſi quidem voluiſſemus, nec id fortean absque omni de rebus judicio ſuſtineri debuiſſet: neque diſcrimen, quo ſingulares contactuum eventus a vulgo obviis ſejunximus, ſufficere, queat, quod non omnium, quæ ſub ſingularium numero continentur, una ſit eademque ratio: Dein poſſit alicui res nondum ſatis explicata videri, num odontalgiæ per tactum ſanatio, cujus in gratiam ex hiſtoricorum ſcriptis copioſe deductam relationem dedimus, ad has, vel iſtas, manuum operationes referri debeat. Meminimus enim, fuiſſe, qui, dum experimentis eam oſtenderemus, vel peculiari, qua tam con-

continuo ſedetur dentium dolor, virtute nos pollere, neque ita ab omnibus fieri poſſe, vel forti ægrorum imaginatione, ſublatum eundem crederent. Porro & ſub primi generis cenſu reperias, quæ reliquis forſan rectius ſint adſcribenda. Exemplum eſto dolor ventriculi, cujus curationem ſingularem duximus, acerrimo *Cl. Pechlini* judicio permoti, qui *præter contactum etiam effluviorum ſalutarium aliquem uſum fuiſſe hariolatur*; verum, poſtquam fortuita ſermonum occaſione ex Celeb. & Excell. Domino Præſide intelleximus, ſemet a ſummis ſtomachi torminibus uxorem impoſita ſua manu aliquando liberaſſe, ſuſpicari nos cœpimus, non exſpirationibus, ſed ſoli manus calori, tribuendum eſſe, quod is dolor tam feliciter ab homine iſto ſopiri potuerit. Balliolorum quoque familiam *ſeu prolapſu, ſeu violentia, ſeu ictu fracta, aut luxata, oſſa, nervosque & artus contuſos, vel quovis modo ſede ſua emotos, tacita quadam vi ſanaſſe*, ut cum *Scævola Sammerthano* credamus, nondum ſatis teſtato aliquo indicio evicti nobismet videmur. Namque *Elogii* ſequentibus quibusdam verbis manifeſtum ipſe Sammerthanus facit, ſeſe cum veritatis detrimento, cum favori aliquid dediſſe, aut certe medicarum rerum imperitia ſic fuiſſe deceptum. Merentur ipſa Scriptoris de Henrico III. ſeu Magno, verba, ut diligentius paulo animadvertantur: *Vidi ego*, inquit, *dum ægros curaret, habilique & blandienti, manu oſſa luxata, vel fracta, nervosq & artus e ſede proſilientes, aut diductos tractaret, atque ad conſueta munia revocaret*, (quod quidem repoſitione oſſium in priſtinum locum fieri debebat) *eum tanta dexteritate uſum, ut ſeu manus agilitate, ſive opinione, quam de tanto viro præcepiſſet æger, nullos interea* (dum nempe reducerentur oſſa) *ſentiri dolores, neque naturæ adverſos percipi ſenſus, ita illos alte ſopire ac demulcere noverat.* At vero, qui potuit opinio ægri, ſeu Viri æſtimatio, aut dignitas, efficere, ut nulli ſentirentur dolores? Equidem videmus pugnantium animos affectuum vi ita plerumque abripi, ut ingentes corporum offenſiones ſine lamentis lachrymisque, fere etiam ſine ſenſu, perferant: novimus etiam cogitationum ſedulitate quos-

dam

dam adeo devinctos eſſe, ut de iis *Senecæ* illud merito dici poſſit: *Nihil crus ſentit in terris, quando animus eſt in cœlo.* Verum enim vero in fortiſſima partium diſtenſione, ſine qua tamen ad priſtina revocari munia membra nequaquam poſſunt, omni dolorum ſenſu carere plus quam Stoicum, imo plus quam humanum eſt. Adeo naturæ plane adverſum, naturæ adverſos tum non perceptos fuiſſe ſenſus, quod Sammerthanus ſtatuit. Præterea non potuit etiam ſumma dexteritas agilitasque prohibere, ut prorſus non iidem ſentirentur. Quis enim, Chirurgicarum operationum gnarus, non noverit, quanto ſæpius labore, indeque non exiguo dolore neceſſario exoriente, membra diſtendantur, atque oſſa ſimul priſtino loco rurſus adaptentur. Demus tamen Henricum Balliolum hæc omnia maxima habilitate, minori autem cum dolore, præſtitiſſe, ſane nulla exinde vis tacita, ſed ſumma ſanandi peritia elicitur, quæ vel ex ſequentibus *Sammerthani* verbis clare elucet: *Præterea ſic aptè ligamenta præparabat, & ægra corpora obligabat, adeoque inexplicabili ſerie & ordine faſcias & vittas conſtringebat, ut non amplius oſſa, vel artus, vel nervi dehiſcerent, aut dimoverentur: ſed hujusmodi ligaturis & manus tractatione facile ſequerentur, quocumque torqueret, & in ordinem illos reduceret.* Etenim ſola manuum ac faſciarum recto uſu eandem ſanandi felicitatem quis conſequi poſſit. Imo vero cuilibet Chirurgo eo maximè ſtudendum eſt, ut quam fieri poteſt, minimo dolore aptiſſimisque ligamentis oſſa luxata & diffracta, quin etiam vulnera, percuret. Itaque opere maximè Chirurgico illud a laudatis Balliolis peractum fuit, a quo per ignorantiam aberraſſe nobis videtur Sammerthanus. In reliquis etiam ſupra traditis, cum ſint quædam, quæ maximam nobis falſitatis ſuſpicionem commovent, videmur operæ forte pretium facturi, ſi & iſta prius examini ſubjiciamus, quam exempla univerſim, & ad agendi modum reſpectu, in peculiares claſſes ſubdividamus; ne ſcilicet nobis contingat, ut pro Junone nubem amplectamur. Et ad Pſyllos quod attinet, merito de eorum præſtanti virtute dubitaveris. Fabulæ enim ſimillimum eſt, *eorum corpori ingenitum fuiſſe virus exitiale ſerpentibus,*

ut hujus odore ſopirent eas, quemadmodum *Plinius L. VII. c. 2.* ſcribit (z) Cui ſolenne hoc eſt, ut plus alienæ fidei, quam ſuæ experientiæ confidat. Neſcit nimirum Natura tale in animalibus venenum, quod vel exſpiratione perniciosum eſſe poſſit: neque id probatum reddit accenſum cornu cervinum, de quo Scriptorum quorundam veterum ſententia eſt, fugare id ſerpentes; ſi quidem verum eſt experimentum, quod alioquin ita commodè inſtitui nequit. Longe enim alia ſubeſt ratio: Fugare animantia quivis fumus poteſt, quin apes etiam idem necat. Interim venenum non eſt omne, quod moleſtiſſimum. Tintyritarum in inſula Nili exemplo, quibus nempe Crocodili non infenſi dicuntur a *Strabone*, *& quos tanto iisdem terrori eſſe* notat *Plinius L. XXVIII. c. 3. ut vocem quoque eorum fugiant:* ſive *ut ſola voce territi cogantur evomere recentia corpora ad ſepulturam*, (aa) non fit magis veroſimilis Pſyllorum odor: Obſcurum enim ita confirmatur per æque obſcurum. Hodie certe nullibi reperitur gens, quæ innoxiam ſeſe a rapina illorum profiteri audeat. Neque tamen credibile eſt, præcellentiſſimum ejusmodi donum, genti cuidam ſingulariter inditum, in poſteros propagari noluiſſe naturam, omnium rerum, quæ in mundo ſunt, beneficam conſervatricem. Adeo in hoc Plinium fruſtra tueri videtur Celeberrimus noſter *Morhofius in Principe* ſuo *Medico*. Atqui hunc errorem genuit falſa Plinii de Pſyllorum ſanatione opinio. Perſuaſiſſimum nempe ei fuit, hos non *ſuctu* tantum, ſed vel *tactu ipſo levare* aſpidum morſu *percuſſos*, & ſic *tota* eorundem *corpora* ſerpentium ictu læſis *prodeſſe*, ſec. *LXXVIII. c. 3.* Non ita negligenter de eis, ſed exquiſite admodum, ſtatuit, Romanorum Medicorum facile Princeps, *Celſus* qui *L. V. c. 27. neque hercule*, inquit, *ſcientiam præcipuam habent hi, qui Pſylli nominantur; ſed audaciam uſu ipſo confirmatam. Nam venenum ſerpentis, ut quædam etiam venatoria venena, quibus Galli præcipue utuntur, non guſtu, ſed in vulnere nocent. Ideoque colubra ipſa tuto eſtur: ictus ejus occidit. Et ſi ſtupente ea (quod per quædam medicamenta circulatores faciunt) in os*

(z) Add. *Plinii L. VIII.* (aa) Vid. *L. VIII. c. 25.*

digitum quis indidit, neque percuſſus eſt, nulla in ejus ſaliva noxa eſt. Ergo quisquis, exemplum Pſylli ſecutus, id vulnus exuxerit, & ipſe tutus erit, & tutum hominem præſtabit. Illud interea ante debebit attendere, ne quod in gingivis, palatove, aliave parte oris ulcus habeat. In hujus ſanè judicio, ut ſincero, ſic accurato, eo tutius acquieſcere nobis licet, quod, Medicus ſuo tempore quam optimus, omnium diligentiſſime & penitiſſime ea explorata habere, ac de Pſyllorum opera judicare potuerit. Quin etiam egregie ſententiam hanc illuſtrat hiſtoria Cleopatræ, *quæ*, ut graviter cecinit Poëta: (bb)

generoſius
Perire quærens, nec muliebriter
Expavit enſem, nec latentes
Claſſe cita reparavit oras.
Auſa & jacentem viſere regiam
Vultu ſereno fortis, & aſperas
Tractare ſerpentes: ut atrum
Corpore combiberet venenum.

Eam enim quum ab interitu propter applicitam corpori aſpidem, ejusque morſum ſummè peſtiferum, vendicare omni ratione ſtuderet Auguſtus, dicitur Pſyllos adhibuiſſe, qui venenum e vulnere ſugerent, teſte *Suetonio in Auguſto* & *Dione Lib. LI.* Qui ſolius adeo ſuctus, tactionis plane nullam fecere mentionem. Non ergo attactu, ſed ſuctione, ſi quid potuerunt Pſylli, id omne præſtitere. Nec de Marſis quod jactatur, & Ophiogenibus, certius quiddam conſtat. Cum, quod Strabonis auctoritatem concernit, ipſe non tantum fabulis oppidò ridiculis narrationem ſuam ſuſpectam reddit, ſed etiam incantamenti haud levem facit ſuſpicionem. Accedit, quod Marſos *a Circes*, ob magicam artem famoſiſſimæ mulieris, *filio ortos*, *& ideo ineſſe iis vim naturalem eam: & ſerpentes contrahi Marſorum cantu, etiam in nocturna quiete*, dicat *Plinius.* (cc) Quo & Poëtæ *Lucilii* verſus *L. XX. Satyr.* pertinent.

Jam

(bb) *Horatius L. I. Carm. Od.* 37. (cc) *L. VII. c. 2. & L. XXVIII. c. 2.*

Jam disrumpetur medius; jam ut Marſus colubras
Disrumpit cantu, venas cum extenderit omnes.

Sed nimii fortean fuimus in enucleanda horum falſitate. Properabimus ergo, breviori tamen ſtylo, etiam ad alias quasdam contactuum hiſtorias, non minori, quam priores, difficultate laborantes. Quis enim Borello, ſuſpectæ alioquin fidei Viro, crederet, brachiorum ſolo frictu potuiſſe a quoquam curari febres? Quisnam exturbatæ adeo mentis foret, ut putaret, ab homine per manuum, ſive nudarum, ſive medicamento imbutarum, affrictum ferri magna quædam fruſta in argentum poſſe mutarier? Docuimus equidem ſupra frictionis in ſervando & ſanando corpore non minimum eſſe uſum, ſed nunquam adducemur, ut febres ea potuiſſe expelli autumaremus. Profecto longe univerſalius hoc morbi genus eſt, quam ut ſola brachia ſedem agnoſcat mali. Æque incredibile eſt, manuum, extrinſecus admotarum, ope vomitionem fuiſſe excitatam, alvum ſolutam, omneque genus dolorum delinitum. Sed hominum fidem immenſum ſuperat metallorum iſta manualis permutatio. Sane eousque in homine exſpirationum efficientiam exaggerare, eſt communem naturæ curſum invertere, limpidosque, ex quibus veritatis ratio eſt haurienda, fontes turbare. Neque enim ſumma corporis temperies, & inde proveniens balſamica quædam virtus, Tincturæ Univerſalis inſtar ſe diffundens, hoc negotium ita planum reddunt, & perſpicuum, quin immaniſſima appareant & fœdiſſima rerum monſtra. Eademque religioni eo periculoſiora, quo Naturalismi ſeminia menti humanæ inſerunt occultius, atque omnem miraculorum nomenclaturam e memoria hominum ſenſim delent. Ejusdem etiam farinæ videntur quamplurimis conditionibus enarratæ, ac clariſſimorum quoque Virorum teſtimoniis affirmatæ curationes, à Greatrakio, Nobili quodam Hyberno, inſtitutæ. Quæ, ut hiſtoriæ fide non deſtituantur, apertis nihilominus notis cauſarum rationem ipſæ ſubinde produnt. Quales quidem hic afferre prolixum nimis foret, illud ſatis eſſe poterit, quod *B. Morhofius* in *Mſcripto*

 quo-

quodam *Collegio de Hiſt. Univerſali* annotat: *Eum a Rege in exilium ire juſſum.* Quod ſine gravi cauſa ſic contigiſſe, haud eſt veroſimile. Adeo veriſſimum eſt illud Ἐπιχάρμειον, a *Cicerone* commendatum: *Nervi atque artus ſunt ſapientiæ, Non temere credere.* Tandem etiam ſunt, qui de exemplorum, capite primo a nobis relatorum, veritate admodum dubitant: Sic *Delrio disquiſ. mag. L. 1. c. 3. qu. 4. cum Anton. Mirand.* quæ de Pyrrho narrantur, *mendaciis incredibilibus* annumerat: & Celeb. *Joa. Rhodius not. ad Scribon. Larg. pag.* 15. non *Pyrrhi* tantum, ſed & *Veſpaſiani & Adriani* hiſtorias *fabulis affines eſſe* judicat: *Zentgraffius* iſtam de Adriano *narrationem lubricam dicit.* Sed cum æque culpandum ſit, temerarie, & meris conjecturis innixa cenſura, quæcunque Veterum rejicere, ac nimia iisdem fide indulgere, merito nos illud *Terentii* ſervatum tenemus: *Ne quid nimis.* Quæ autem de Comitibus Habsburgicis a Fel. Fabri referuntur, non ſine ratione valde habet ſuſpecta *Camerarius Oper. ſubciſ. Cent. III. cap.* 42. Examinatis itaque ac rejectis, quæ falſitatis non minimam ſuſpicionem incurrunt, aggredimur nunc & reliqua Tactuum ſingularia exempla. Nempe horum quidem alia divina quadam virtute coruſcant, ut quæ a Servatore noſtro, ejusque Diſcipulis, ſunt edita. Agnoſcuntur autem in eo potiſſimum divinæ vires, quod non tactu ſolum, ſed nonnunquam etiam verbo, ſine corporeo quodam attactu, hoc eſt, ſolo nutu, ægri ſint perſanati. Patet igitur tactum, in tollenda ægritudine adhibitum, non niſi Symbolum fuiſſe curationis divinæ: qualis v. gr. etiam luti abluitio exſtitit in ſanatione cœci nati *Joh. IX. v. 7. & 15.* Eſt quoque hæcce per tactionem medendi ratio minime fallax, & plane non fucoſa: Prætereaque omnium reliquarum occultior & penitus abſtruſa, utpote quæ nulla ingenii & mentis acie penetrari, nullis naturæ legibus comprehendi queat. Adeo nec in hujus cenſum deduci poſſunt, quæ in medicina quotidie evenire vulgo dicuntur, miranda rectius, quam miracula, dicenda. Alterum genus contactuum flagitioſum eſt, & fallaciis præſtigiisque dæmonum inquinatiſſimum. Quo non tantum rerum naturalium ſimula-

mula-

mulatus uſus ad perniciem humani generis vocatur, quemadmodum a Circe factum memorant Poëtæ, atque hodienum id a Magis frequenter fieri notum eſt: cujus rei plura exempla legi poſſunt apud *Nic. Remigium Dæmonolatr. c.* 37. Sed & religionis ſacræ ceremoniæ, ἰδωλολατρείας, vel ſuperſtitionum, perverſis moribus deformatæ, ſimul adhibentur: (dd) Cujus exemplum Pyrrhus nobis Galli Gallinacei immolatione, ac Lienoſorum attactu, præbet. His enim plerumque, naturalium & divinarum rerum abuſu, improvidas hominum mentes irretire, & tanquam perſonatas reddere fraudes ſuas cupiunt malitioſi ſpiritus. Neve quis mortalium miraculorum veritate capiatur, ipſi his ſimilia fingunt, & κακοζηλίᾳ quadam Servatoris noſtris facta imitari conantur. Quo pacto Veſpaſiani atque Adriani curationes videmus eſſe peractas. Quæ ſane ſpecie tenus in multis conveniunt cum illa hiſtoria, quæ in ſacris literis a *Johanne Evang. cap. IX.* enarratur. Id tamen difficile creditu eſt, potuiſſe natum cœcum Dæmonis ope recipere viſum. *Salmaſius* quidem eam ob cauſam in commentariis ſuis pro *natus cæcus* legendum eſſe ſtatuit *vetus cœcus*; B. *Morhofius* contra hanc rationem *nullius eſſe momenti* ait, *quia ſeu natum, ſeu veterem cœcum, viſum recepiſſe tactu ſolo, æque poterat videri incredibile, & oculos recepiſſe commodius dicatur natura cœcus, quam qui vitio accedente factus.* Verum enim vero, quod pace tanti Viri dicamus, non tam certo poteſt hoc affirmari, quod ſæpe, imo fortaſſis utplurimum, cœcorum natorum labes vel in retinæ defectu, vel in nervi optici, aliusve partis mala conformatione reſidere queat. Sic novimus nos Virum doctiſſimum, cui mira familiæ calamitate, inter alios liberos, tres ſunt cœci nati, omnes gutta ſerena laborantes. Jam vero omnino experientiæ repugnat, vitium ejuscemodi ulla arte corrigi poſſe: neque dæmones eam habere in hac rerum univerſitate poteſtatem, ullo exemplo conſtat. Hinc quam optimè *Melanchthon apud Camerarium*: ee) *Non poteſt*, inquit, *Diabolus facere illa: reſtituere vitam mortuis, item anum effœtam facere fœcundam*

(dd) Vid. *Remigius c. l. cap.* 48. (ee) *In hor. ſubciſ. ſupra c. l.*

eundam, ſiſtere curſum ſolis, & multa alia, quæ inimitabilia Diabolo ſunt, quæ ſunt teſtimonia divinæ potentiæ in Eccleſia. Neque etiam correctio Salmaſii neceſſaria adeo videtur, ſi intelligamus, pro nato cœco ab omnibus habitum, qui a natalitiis occœcatus erat. Idque ab ipſo fortaſſis dæmone, quem talia nonnunquam patrare, eo ſaltem propoſito, ut poſt eadem removens hominibus miraculorum ſpecie imponat, non ſine cauſa conjectat judicioſiſſimus & diligentiſſimus artium ipſius indagator, *Remigius* (ff) Atque adeo exiſtimandum eſt, non Solo tactu, multo minus per miraculum, fuiſſe reſtitutum, ſed quibus mali ſpiritus operibus oculos amiſerat, iisdem eum recuperaſſe viſionem. Etenim illas hic tueri nolumus partes, quibus omnes Dœmonum artes ab occulta quadam & ſubtiliſſima, naturali tamen, facultate profectæ aſſeruntur. Quæ ſi ita ſeſe haberet, non poſſent eadem artificia, quæ Magi ad incantandum adhibent, modo ſalubria, repente inſalubria eſſe; neque v. gr. pulviſculus, qui vel ſola inſperſione in veſtimenta aliis nocere ſolet, tuto manibus ipſarum ſagarum tractari. (gg); neque magicæ rei virtus peculiaris earundem aſſenſus adeo indigere (hh). Accedit, quod magica operatio, ſimilem in modum a non Magis inſtituta, nihilominus eam non producat vim & effectum, quem per incantatores vulgo exoriri videmus. Tertium genus tactuum ſingularium eſt, cujus exoptatus adeo eventus e cauſa quadam naturali ita nectitur, ut nec ab omnibus ob occultam impeditionem, nec per omnes, exſpectari poſſit. Tales præcipue ſunt Galliæ & Angliæ Regum tactus, quod eorum, qui aliis etiam ſimiliter tribuuntur, maxime dubia ſit veritas. Videlicet non illorum inhæremus ſentententiæ, qua vel divinum munus hunc ſanandi morem eſſe, vel per τὸ θεῖον, Majeſtati regiæ peculiariter inſitum, levari morbum, edocetur. Neceſſum enim foret, in eo miraculum, idque imperfectum, agnoſcere, quoniam non omnes æque feliciter & conſtanter ſanari compertum eſt. Multo minus pollicem

(ff) *cit. l. cap. 45.* (gg) Vid. *Remigius c. l. cap. 37.* (hh) Vid. *Idem c. l. c. 38.*

cem *Deuſingio* (ii) premimus, qui non Pyrrhi ſolum, ſed &, quæ contactu fiunt curationes, in univerſum fere omnes in magicis & ſuperſtitioſis habet. Namque non omnes mirandi effectus, quorum abſcondita ratio eſt, fallaciis Dæmonum ſunt adſcribendi. Naturales potius ſtatuimus, quod ſimiles etiam ſimiliter produci poſſint rebus mere naturalibus, ut defunctorum manibus hoc ſuperius probatum eſt. Quales autem ſint ſtrumas per tactum iſtum abigendi rationes, num ſcilicet per oleum, manibus inunctum, quod bufonum eſſe vult *Borellus*, (kk) vel per imaginationes ægrorum, vel alios naturæ modos, tollantur, dubia res, & diſſenſionis inter doctiſſimos plena eſt. Nos quidem non audemus

tantas componere lites,

quum in curationis iſtiusmodi conditiones altius indagandi nobis deſit occaſio; veroſimilior tamen nobis videtur de imaginatione opinio. Quantæ enim ejus ſint in rebus humanis, itemque morbis, vires, quotidianis pene diſcimus exemplis. Quorum, niſi brevitati ſtuderemus, magnum huc afferre numerum poſſemus. Sufficere hic pauca queunt: cumprimis, quod de quodam apud Cl. *Pechlinum L. III. Obſ.* 32. narratur. Is enim totus Paralyticus â concione & benedictione ſupra memorati Bagnonii, in quam non ſine moleſtiâ conjux & amicus eum deduxerant, confeſtim, velut novus homo, pedibus, quibus inſiſtere aliquot annis nequiverat, non ſolum pro lubitu incedere, ſed & proſilire, ingenti cum miratione, potuit; verum, poſtquam per Nobilium, credulitatem muliebrem & phantaſiæ luſum exprobrantium, ſannas & irriſiones labefactata fuerat fiducia, mox in priſtinum iterum incidit & ſtatum & valetudinem. *Michael Medina*, (ll) citante *Fieno*, ſcribit, *ſe Salmanticæ puerum quendam noviſſe, qui gratiam ſanitatis* (Sanandi donum) *habere credebatur, qui multos homines ſolô attactu graviſſimis morbis liberabat : ſed morbos tandem iterum recurriſſe, quando jam ægrorum imaginatio deferbuiſſet.* Quinimò mulieris ê Benivenio exemplum huc commodè

(ii) Vid. *de morb. ſubperſt. orig.* §. 61. (kk) *Cent. IV. Obſ.* 38. (ll) *Lib. de recta in Deum fide cap.* 7.

dè referri poſſe videtur: cumprimis ubi, quæ Celeberrimus *Pechlinus cit. l. Obſ.* 12. perquam doctè ediſſerit, paulò attentius conſideramus. Accedat lepidum illud adverſus Ardorem Stomachi conſilium, non tantum *Joh. Agricolæ* quondam cognitum, ſed & multiplici quorundam experientia, (mm) & Nobiliſſ. Excell. Dnii Waldſchmiedii noſtri, Fautoris & Amici maximopere colendi (qui in ſeipſo non ſolum, ſed & in pluribus aliis per jocum id egregio cum fructu tentavit) aſſenſione probatiſſimum. Ipſius auctoris verba, quibus deſcribitur, gratiam fortaſſis aliquam merebuntur. Ea autem hæc ſunt (nn): Ein lächerliches Experiment habe ich neulich wider den Sood geſehen / daß einer nur an einen Strick gedacht / welcher mit der Wagen-Schmier / ſo auß einem Rade gelauffen / beſtrichen und ins Hauß in einem Winckel gehenget worden / ſo iſt ihm der Sood alſobald vergangen. Sexcenta ejusmodi exempla hic notari poſſent: Sed manum de tabula. Plura qui velit, legat *Ephem. Nat. Cur. Dec. II. A.* 8. *Obſ* 178. 180. & paſſim, *Pechlini L. III. Obſ.* 13. *uſque ad* 16. nec non *Th. Fieni* elegantiſſimum libellum *de Viribus imaginationis*. Tantum de Contactuum ſingularium differentiis!

CAPUT V.

DE

Diſcrimine vulgati manuum uſus, earumque operandi modo generatim.

UT flagitioſè cum Medica doctrina agunt, qui, non rerum humanarum vitio, ſed vel turpi profeſſionis inſcitia, vel execranda quadam malitia ducti, utiliſſimam mortalibus artem inconditis falſiſſimisque obſervationibus contaminant; ita peſſi-

(mm) Vid. *Ephem. Nat. Cur. Dec. II. A. 8. Obſ. 179.* (nn) *Joh. Agricola in Chirurg. parva Tract. II. p.* 251.

peſſime ſtudiis ſuis conſulere videntur, qui easdem, crudas quaſi & incoctas, magna aviditate ingerunt, ingeſtas parum digerunt, neque ab iisdem ſecernunt, multominus in augmentum tandem ſcientiæ convertunt, illa, quæ, probe probeque veritatis acri bile dijudicata, quam optima debeant haberi, reliquis & inutilibus, ritè ſegregatis. Nos ne in Diſſertatione hac noſtra rerum obſcuritate ſimiliter prolaberemur, materiem, ab aliis hactenus nondum perfecte pleneque luſtratam, ut pro viribus licuit, provida cura, animoque conſiderato, tentavimus: neque non præcedenti capite tactuum ſingularium exempla, veritatis quaſi lance librata, ſuo quævis gradu, ſeu claſſe, quam a nobis fieri potuit, apte locavimus. Reſtant nunc æquali induſtria perveſtigandæ manuum, vulgariter in morbis uſurpatarum, actiones. Quæ, quum non ſolum multiplici effectu, ſed & variis corpus humanum afficiendi modis, itemque inter ſeſe, diſcrepent, facile patet, longe majorem hic nobis aperiri campum, ſi ſingulas hiſtorias velimus ſpectatas. At vero, quoniam, cognitis exacte & tactuum diſcrimine & operatione, haud adeo difficile eſt de effectu & uſu judicium, erimus præcipue nunc in vario contactuum genere, eorundemque diverſo operandi modo occupati, additis tamen ubique ſanationum nonnullis exemplis, quo illuſtrior tandem fiat, & clarior noſtra contemplatio. Præcipua autem manualium tactionum genera nobis videntur eſſe Tactus manuum ſimplex, percuſſio, & frictio. Reliquæ enim tangendi per manum rationes ad unum eorundem genus commode referri poſſunt. Atqui hæc omnia generatim & univerſe operationem preſſu, ſive, ut alii loqui malunt, impreſſione, peragunt, ex qua dum fibrillæ papillares nerveæ, in cutim terminatæ, & ſpiritus in iisdem animales commoventur, perceptio oritur, quam tactus ſenſum, & ſenſationem, appellamus. Eſtque hic effectus naturæ maxime conveniens, & ordinarius. Inſuper exemplis ſuperius adductis conſtat, naturaliter etiam ſalutem corporis humani membris tactu manuum vario modo dari poſſe. Jam vero, quum plerorumque morborum, præſertim attactu iſto cu-

randorum, cauſæ in ſolo ſpirituum animalium vitio non reſideant, videtur neque ſola eorundem commotione eosdem tolli, verum, ut exoptatus ſequatur eventus, etiam humores partium corrigi debere. Quod quemadmodum contactu fieri queat, operæ pretium eſt in ſingulis tactionum recenſitarum generib9 disquirere. Et hæc inter primum nobis eſto Percuſſio. Quæ preſſus eſt incitatus, cum impetu majori, vel minori factus, ut major nempe fuerit, vel minor, moventis vis: omnem etiam operandi virtutem à motu, ac repetitis ictibus ſumens. Minus vehemens, ac repetita percuſſio locum habere poteſt in Dyſuria, ut vel ex *Obſerv. med. MS. Jſraëlis Schmidii* (oo) diſcitur: Ein Preußiſcher Jäger hat einen alten Leit-Hund gehabt / ſo aber ohne die höchſte Beſchwerde nicht harnen können / wofern nicht jemand mit der Hand zuvor ſelbige Gegend eine Weile ſanfft geklopfft hätte / alsdenn iſt es gangen / wie es ſolte. Similiter etiam conducere videtur in ſingultu: quo pertinet exemplum ab eodem laudato *Paullini* (pp) annotatum, niſi quis repentinum auxilium vini calidi, nucis myricæ, & cretæ viribus tribuere malit. Non minus puerulis, periculoſius tuſſientibus, Phthiſicis etiam, qui pituitam viſcidiorem e pectore difficulter admodum excernunt, iisque, quibus ob avidiſſime deglutitum cibum, & occluſam inde gulam, ſuffocatio imminet, prodeſſe dorſi percuſſionem, exemplis nosmet edocti ſumus. Ad expellendum denique ex utero mortuum fœtum percuſſionis fortitudinem commendat Cl. Vir. *Th. Bartholinus*, (qq) qui *Fœtu*, inquit, *mortuo, præſertim in partu ipſo hærente, quum propter anguſtiam viarum matrisque imbecillitatem ex anguſtiis eluctari non poteſt, ne ſine ſpe miſera relinquatur, impoſitus orbis ligneus, vel ſtanneus, ſuper umbilicum fortiſſime manu Medici vel adſtantium percutiatur*: Idque exemplo comprobat. Quibus, ut & manus ictu, maxillæ inferiori luxatæ dextre adhibito, perſpicuum fit, percuſſioni tam in viſcera atque ea quæ intus hærent, quam oſſa etiam luxata non minimum poteſtati

(oo) referente *Dn. Paullini in Flagello Salut. Sect. IV. c. 6.* (pp) *cit. l. cap. 1.* (qq) *Cent. VI. hiſt. 83.*

ſtatis eſſe. Cumprimis autem humores, ut ad motum ſua natura proniores, percuſſione incitamentum accipiunt repetita & forti. Namque hinc eſt, quod manuale hoc auxilium ſibi tam conducibile expertus fuerit nonnemo, cui ſine vehementioribus in clunes ictibus nulla unquam obtingere potuerit ſeminis emiſſio(rr) Præterea etiam motus inteſtinus, externo valentior redditus, ſubſiſtentiam humorum interdum ſublevare potis eſt. Atque huc ſpectare videtur iſta dolentium tumorum cura, cujus idem *Bartholinus* (ss) meminit his verbis: *Affinis eſt huic curatio, qua quoscunque corporis dolores exteriores & tumores, pugnis vehementioribus parti dolenti impactis domare amicum vidi, ut quaſi fuſtibus molles fiant magis, quam ullis emplaſtris.* Itemque & illa apud *Sinapium*, (tt) qui *Hæc de motu*, inquit, *meditanti occurrit mihi memoria Abbatis certi, quocum mihi ante paucos annos non parva interceſſit familiaritas & conſuetudo. Prædictus* nempe *Abbas ſæpius conquerebatur ſe puncturis laterum, imprimis ſiniſtri divexari, quas ipſe non alio remedio ſe diſcutere, mihi narrabat, quam iterata pugnoque inflicta forti percuſſione, tandemque longa frictione loci dolentis. Suadebam autem eidem Abbati, qui ſæpius etiam Podagricis fatigabatur deliciis, ut fuſtibus adventantem exciperet Podagram, ſed ipſe negabat conſequentiam circa remedii paritatem.* Verum minus recte is negavit, quod ictuum in Podagra fructus variis exemplis a Dn. *Paullini* (uu) probatus ſit: quibus hic agyrtæ cujusdam miram, & pene ridendam, curam adjungere placet. Ille enim opificii ſartorii miniſtro, (poſtmodum hujus loci, dum viveret, incolæ) Dantiſci pedibus laboranti, omnino integram ſanitatem promiſerat, at certe ea conditione, ut remotis omnibus arbitris, & ſolitaria domicilii parte, curandum ſeſe ſiſteret, ne inſolens & rara ſanandi methodus ullo modo cognoſci ab aliis poſſet; ſcilicet! Morigerus eſt æger, & ſoſtro ante enumerato ex conventu, remotiſſimo ab hominum frequentatione loco cubile ſibi ſtratum curat, ſupino jam demum corpore, animo tamen ſumma in medicaſtri ſui

 opem.

(rr) Vid. *Vit. Riedl. Lin. Med. A.* 1696. *m. Jan. Lin.* 4. (ss) *Act. Hafn. Vol. V Obſ.* 126. (tt) *Tr. de Remedio Doloris pag.* 56. *& ſeq.* (uu) *cit. l. cap* 12.

opem ſiducia erecto, proſperum acceſſum exſpectans, quum bonis tandem avibus adveniens ille, ſine multis ſermonum diverticulis, quod ſuum eſſe credebat opus, aggreditur. Nempe quavis manu alterum ægrotantis pedem gnaviter prehendit, & divaricatos eosdem viciſſim ſumma vi collidit, nulla interea ratione vociferationem, ejulatus, clamores, aut preces iſtius exaudiens, donec, poſt dimidiæ circiter horæ acerrima tormenta plane conſternatum reliquerit, confeſtim domo & urbe egrediens, neque unquam poſtea viſus. Iſte vero tantum abeſt, ut, graviſſimo cruciatu exagitatus, pejus ſeſe haberet, ut ab iſto die ad vitæ finem usque ne ullo quidem mali inſultu amplius divexatus fuerit: Id ſaltem incommodi tulit, quod ex terrore hujus medelæ perpetuus maxillæ inferioris tremor eum affecerit. Sed hoc exemplum, a Nobiliſſ. Excellentiſſimoque Dno. Waldſchmiedio noſtro nobis gratioſe expoſitum, obiter ſolum modo recenſere voluimus. Regredimur ad manuum ictus, eorumque in agitandis humoribus virtutem, quæ aliis etiam exemplis apud Dn. *Paullini* (xx) confirmatur. Interdum etiam dentium dolori alapa medetur, cujus quidem hiſtorias nonnullas apud eundem Auctorem (yy) legere licet. Sed cœco tantum percuſſionis impetu ſic nonnunquam evenire ſolet. Niſi enim ſanguinem ferentium vaſorum minima quædam eo rumpantur, atque adeo liquori purpureo ſubſiſtenti, indeque dolorem cauſanti, liberior exitus detur, non imminutum, ſed longe ferocius redditum iri malum, experiere. Tandem etiam, quoniam ſpeciatim genarum percuſſionibus, improviſo ac ſumma cum violentia factis, terror, animi excandeſcentia, ſimilesq; effectus vehementiores jungi utplurimum ſolent, caſu magis & fortuna, quam ſingulari colaphorum virtute, febres intermittentes, (zz) imo & graviores quidam morbi ſæpe percurantur. Quin & Imaginationis addita ope tale quid fieri poſſe, docet exemplum, apud *Happelium in Relat. Curioſ. Part. I. p.* 20. exſtans. Sic enim ille: Jch habe einen Poſt-Boten gekannt / welcher zum Poſſen

auſſ-

(xx) *cit. l. cap.* 3. (yy) *cit. l. ſect. II. c.* 8. (zz) vid. *Ephem. N. C. Dec. III. A.* 2. *Obſ.* 202.

außſprengete / Er könne durch Stoſſung vor die Stirne einem das Fieber heilen. Was geſchah? Er bekamm Patientē/welche durch dieſe Chur mehrentheils geheilet worden. Ampliora *de Alapis ſive colaphis*, a præclaro Viro, Dno. *Georg. Fr. a Franckenau* peculiari ſtudio collecta, videantur in *Diſſertatione Heidelb. A.* 1674. edita: nolumus enim nos parum tuto, (aaa) ac nulli non moleſto, remedio diu inhærere. Sequitur Frictio, quæ preſſus eſt lenior, aut fortior, citius vel tardius ſtringendo fiens: de qua ſupra capite II. uberius egimus, ut non ſit opus cramben hic bis coctam apponere: De Titillatione tamen, utpote quæ ſub eadem comprehenditur, quædam monenda ſunt. Eſt enim hæc frictus leniſſimus, papillarum in cute nervearum extremitates æqualiter & molliſſime ſtringens. Intelligimus autem Titillationem, κατ' ἐξοχὴν ſic dictam, non neſcientes, generatim etiam unumquodvis tactionis per manum genus titillare, hoc eſt, blande & ſuaviter ſpiritus commovere poſſe, ſi quidem lenior ſit preſſus, cutisque papillarum delicatiorum, ac ſpirituum animalium copia turgeſcentium, crebritate inſtructa ſit. Meminiſſe vero illius hoc potiſſimum loco placuit, quoniam mollior frictus, ex omni molliſſimorum contactuum genere, magis aptus ſit ad inferendum corpori dulcedinem illam, quam titillationis ſenſum dicimus. Senes eo non adeo afficiuntur, quod papillulæ cutis, longævitate, & duriores ſint redditæ, & ſpiritibus non multum turgeant. (bbb) Idem opinandum eſt de illis, qui natura ſua duriuſculas obtinent easdem, ut &, quorum graviter debilitata ſunt & fracta quaſi ægritudine membra. Tertium a nobis memoratum Tactionis genus eſt Tactus manuum ſimplex. Qui vel lenior eſt, & ſine ullo quodam impetu; vel fortior, Compreſſio dictus. Lenior ille perſæpe palmarum admotione peragitur aliquandiu continuata: adeoque expandere vires ultra eam efficientiæ ſphæram vix poteſt, quam

 qua

(aaa) Leg. *Paullini c. l. Sect. IV. c.* 7. *& Sect. V. c.* 2. (bbb) Hinc recte *Cicero*: *Non eſt*, inquit, *voluptatum tanta quaſi titillatio in ſenibus*, *Libro de Senectute*.

qua ſenſus ordinario producuntur. Calor itaque eſt, qui ventriculi & inteſtinorum dolorem interdum levat, dum manus ventri applicantur, cujus exempla in præcedenti capite dedimus. At vero manus demortuæ virtus in tangendis verrucis ſtrumisque haud eſt ita facile dijudicanda. Etenim non ab exſpirationibus ea originem ſumere poteſt, quippe quæ, inteſtino fluidorum ceſſante motu, perquam paucæ ſunt. Neque ita certo effectum frigori manus attribuas, quoniam id ipſum nil, niſi caloris quandam abſentiam eſſe, ac materialiter in aliud corpus agere nequire, ſtatuunt recentiores Phyſici. Dein nec frigoris efficacitatem ſatis probat experimentum Digbæianum, quo ſæpius verrucas feliciſſime ſublatas eſſe, recordamur; ſi nimirum circa plenilunium tempore veſpertino, & ſemel in dies, ſuper pelvi quadam orichalcea, politiſſima, radiisq; lunaribus ſic expoſita, ut hi undique reflecti poſſint, manus, vel membra verrucis fœda, eo pacto fuerint perfricta, quo lavare eadem vulgo ſolemus, idq; ter, aut amplius, continua dierum ſerie factum ſit. Namq;, quod obſcurum & reconditum eſt, non redditur dilucidius æque abſtruſo & latente. Porro *ſtrumæ maximæ, periculoſæ, per duos tresve Annos moleſtiſſimæ,* tandemque *manus hominis mortui applicatione* curatæ, exemplum, quod *Actor. Philoſ. A.* 1666. *m. Majo* refertur, rem non facit indubiam. *Frigidus* enim *rivulus*, *quem in Cor devolutum quaſi ſenſit homo curandus* non niſi ſpasmodica quædam contractio fuit nervorum, in pectoris cavitatem tendentium: *animi deliquium* autem, *quod fere* inde *paſſus fuit*, haud adeo inſuetum eſt Symptoma morbi, e frigore exorti. Eodem ſane corripi nonnunquam ſolent, qui, nimium calentes, undis frigidis ſeſe immergere, ut Alexander Magnus apud *Curtium*, (ccc) vel in cellam deſcendere vinariam, & vini frigidiſſima pocula libare, (ddd) aut algidam haurire aquam (eee) non verentur: Rurſus nec videtur veroſimile, ſtrumas frigoris vi unquam tolli poſſe, quoniam humores corporis ea non extenuari, ſed cogi potius ſentimus: unde non ſolum, lac in mammis, nimium nudatis, in

coagu-

(ccc) *L. III. c.* 5. (ddd) vid. *Schenck. L. II. Obſ. med. p.* 277. (eee) vid. *Hildan. Cent. V. Obſ.* 29.

coagulum coiviſſe ex *Foreſto* (fff) & , Vomicam Pulmonum a perfrigida potione aliquando ortam , e *Verzaſcha* (ggg) cognitum eſt , itemque , Hydropem inde productam , ipſimet vidimus ; ſed & cœcitatem (hhh) Pleuritidem lethalem (iii) Paralyſin (kkk) , Apoplexiam (lll) , ipſam denique mortem frigori ſubſeqvutam (mmm) , notant ſcriptores : Quin & *Celſus L. I. c. 9. frigidam aquam ſtrumas excitare* expreſſis verbis ait. Ultimo, ſi tandem gelida mortui manu curatam ſtrumam demus, ſequitur, aliis rebus multo frigidioribus , v. gr. nive , aut glacie , longe facilius eandem auferri debere : id vero experientiæ adverſatur. Supereſt aliud , & magis probabile ſtrumarum remedium , Phantaſia, de cujus permagnis viribus jam ſupra quædam diximus. Id ſolummodo exemplum , â nobis viſum , in majorem rei fidem hic adjicere lubet ; videlicet , verrucas aliquando evanuiſſe , poſtquam iis fœdatus , dum funus quoddam deferretur , altera manu easdem, quaſi defricando, aliquoties feriiſſet, his ſimul cum verbis : **Ich frage dennoch nichts darnach ; Ich frage dennoch nichts darnach.** Ex quo ſane patet, cadaver humanum etiam ſine corporeo quodam contactu verrucis mederi poſſe : atque inde colligitur non in manus mortuæ tactu, ſed in homine ipſo remedii rationem quærendam eſſe. Fortior manuum, vel digitorum adpoſitio Compreſſus nomen habet , poteſtque vel brevis eſſe , vel continuata. Brevis & repetita Compreſſio Attrectationis, aut Palpationis, vocabulo denominari ſolet. Omnes in eo generatim conveniunt , ut vel excernenda exprimant ; Sic *Th. Bartholinus :* (nnn) *Novi* , inquit, *in Gallia puerperas , quæ feliciter etiam vivos fœtus enituntur compreſſione externa manuum propriarum , qua blande ad exitum propellunt embryonem , & ita ſine aliarum mulierum auxilio brevi ipſæ negotium ſuſceptum conficiunt :* Vel compreſſu, ſpeciatim ſic dicto

cto

(fff) *L. XVII. Obſ.* 21. (ggg) *Obſ. med.* 100. *p.* 260. (hhh) ſec. *Ephem. N. C. Dec. III. A.* 2. *Obſ.* 97. (iii) vid. *Hildan, Cent. I. Obſ.* 95. (kkk) vid. *Schenck. L. I. Obſ. med. p.* 164. *Hildan. c. l.* (lll) vid. *Schenck. L.* III. *Obſ. p.* 324. (mmm) vid. *Marcellus Donatus L. IV. de Med. Hiſt. mirab. cap.* 6. (nnn) *Cent. VI. Hiſtor. anat.* 83.

ᴄto, ſeu fortiori, utilitatem humano corpori præſtent. Hac enim ratione fluxus ſanguinis immoderatos interdum compeſcere licet; itemque expanſiones fibrillarum nimias reprimere. Hinc quam optime Cl. *Pechlinus* (ooo) ſcribit: *Tumores quosque & extenſiones â flatu manus commode admota pulchre temperat, imo, ſi fortius applicetur, etiam laterum dolores puncturasque imminuit, dum nimias Thoracis Coſtarumque expanſiones, quæ fibras divellere doloremque augere ſolent, preſſione compeſcit. Mirificum etiam in Hypochondrii ſiniſtri doloribus manus admotæ remedium. Nempe, cum nimia fibrarum inteſtinalium expanſione dolores ingraveſcant, manus incumbens flatus æſtusque iſta parte aſſurgentes oportune coërcet, prohibetque niſu contrario ne nimium evagentur, aut ubi in latum evagandi copia non eſt, in longum prorepant, adeoque diviſo impetu una parte minorem excitent dolorem.* Summe neceſſaria quoque eſt compreſſio in affectu iſto Epileptico, quo ê pollice pedis, aut manus, aura quaſi quædam ſurſum verſus aſcendens perſentiſcitur. (ppp) Quæ, ut nihil aliud eſt, quam ſpasmodica quædam convulſio, ab extremitatibus nervorum irritatis inchoans, totumque ſenſim ſyſtema nervoſum in conſenſum rapiens, ita nullo felicius remedio, quam manus ſub genu, aut in carpo, applicatione forti, atque ulteriorem ſpirituum influxum cohibente, ſeditioſus quaſi illorum tumultus ſedatur, indeque inſultus epilepticus mature ſimul antevertitur. Pariter & in doloribus compeſcendis, ſi quid compreſſus auxilium ferant, ut certe interdum ferunt, id omne a moderato ſpirituum in nervos & membranas influxu derivandum eſt. Et hujus luculentiſſimum nobis eſſe exemplum poſſet ſedandi odontalgiam noſtra ratio, niſi quædam obſtare autumaremus dubia, nondum a nobis circa eam rem explicata, ac remota. Primo enim hoc controverſum nonnullis videri queat, num in vulgati tactus cenſum revera veniat illa; dein, ſi quidem veniat, num fluxioni

(ooo) *L. III. Obſ.* 30. (ppp) vid. *Ettmülleri Prax. Oper. p.* 435. *Tulp. L. IV. Obſ.* 2. & 3. *Borell. Cent. II. Obſ.* 95. *Henr. ab Heer Obſ.* 23. *Hildan. Cent. VI. Obſ.* 25. & 26. *Th. Bartholin. Cent. VI. Hiſt. anat.* 78. *Schulz de Cinnab. p.* 136. *Helidaeus in Conſil. p.* 29. *Becker. in Barbett. p.* 3. & 15.

ni ſpirituum interclusæ adſcribendus ſit effectus ; de cujus porro certitudine eo magis dubitare liceat, quoniam non dens, ſed auris tangitur. Equidem fatemur ipſimet, non immeritó hæc in quæſtionem vocari, quum effectus æque ſit mirabilis, ut medendi ratio peculiaris, atque anomala: quin neque noſmet initio ſatis fidimus oculis manibusque noſtris, niſi multiplici experientia tandem veritatis convicti. Nunc vero, poſtquam Celeberrimi hujus Academiæ Viri, Dn. Præſes & Dn. Waldſchmidius, quos modum docuimus, ſimiliter dolorem dentium levare poſſint, ac reipſa, data occaſione, ſuis manibus levaverint, neminem fore putamus, qui unquam de effectu vel dubitaverit amplius, vel ad ſingularium, ſupra enarratorum, claſſem referendum eſſe eundem cenſuerit. Id itaque ſolum proximis capitibus demonſtrandum eſt; dari ſcilicet aliquem inter aures & dentes conſenſum, & cohiberi fluxionem ſpirituum per digitorum adpoſitionem.

CAPUT VI.

DE

Partium corporis humani, ſpeciatim Dentium Auriumque, conſenſu.

CORporis animantium cum Machina, vel Horologio, ſimilitudinem non Carteſio demum, ſed Apulejo jamdudum, Areſtoteli etiam, ac Galeno, innotuiſſe, ex ipſoummet ſcriptis erudite oſtendit *Græbnerus in Medicina Veteri reſtituta.* Præcipue omnium humani corporis ſtructura tam ſinguari opera, ſummoque artificio a DEO fabricata eſt, ut nemo nirari ſatis artificis maximi ſolertiam, nemo laudibus efferre tis amplis ſapientiam queat. In ea enim, quod præclare admoum notavit divinus noſter *Cous*, ξύῤῥοια μία, ξύμπνοια μία, υμπαθέα πάντα: *Confluxio una, conſpiratio una, conſentientia omnia.* Nimirum oportebat perfectionis atque abſolutionis divinæ, qua

opera

opera hujus univerſi permagna finiret ſummum Numen, illuſtre aliquod, & ſummum dignitatis gradum tenens, eſſe ſpecimen: inſuper & organon, quod cum *auræ particula divinæ*, ut Poëta loquitur, ceu rectore & moderatore, arctiſſimo quodam vinculo copulari debebat, peræquam videbatur proportionem requirere ad iſtius eximiam nobilitatem. Enimvero nolumus nos in præſenti exactam Totius ſymmetriam, membrorum decentiam, atque ad exercendas corporis animique facultates aptitudinem, ſimiliaque, contemplari, quum id propoſitum noſtrum haud adeo exigat. Concordiſſimum ſaltem ſtatum paucis indicare exemplis lubet, quibus tantum non univerſa corporis membra amice inter ſeſe conſpirare, ac, dum ægritudine affliguntur, alia cum aliis συμπάσχειν experientia novimus. Namque ex miris Totius compagibus ſingularia ſæpius & inenodabilia nonnunquam proficiſci videmus in corpore humano ἐπιφαινόμενα, quorum alia rariora, alia vero quotidie fere ſunt obvia. Ex oppido raris inſigne exemplum eſſe poſſit a tonſa barba cœcitas, de qua G. Segerus ad *Th. Bartholinum* (qqq) hunc in modum ſcribit: *Vir Clariſſimus* (Lucas Schröckius) *hiſtoriæ haud vulgaris mentionem facit, quam lubentiſſime tecum communicabo. Scribit recenſuiſſe ſibi nuper per literas, inſignem Ulmenſium Medicum, D. Anton. Boxbart, quod monachus quidam iſtius curæ creditus, viſum amittat, ſi ex inſtituto regulæ (eſt enim familiæ Benedictinæ) barbam radat, recipiat autem viſum, ſi eam prolixiorem alat, idque jam ſæpius contigiſſe, nec ipſum Boxbarterum cum aliis de veritate hujus caſus dubitare. Ita quidem ut & ipſi ſuperiores Monaſterii, neglecto Regulæ rigore, conceſſerint, imo monuerint, ut impoſterum prolixiorem barbam alat æger.* Contrarium pene in alio itidem Monacho, Ulmæ obſervavit memoratus idem Boxbarterus: (rrr) Ille enim *debilitate viſus laboravit, quoties tamen crines ſub alis radere curaverat, rectius vidit, quoties creſcere permiſerat, obſcurius.* Quin & *Iſibordus in Breviar. rer. memorab. num.* 130. refert, Monachum ſeſe noviſſe Gallum, cui ex genis raſis dolor

(qqq) *Cent. III. epiſt. med.* 67. Add. *Eph. Nat. Cur. Dec. II. A.* 7. *Obſ.* 152. *in ſchol.* (rrr) vid. *Ephem. N. C. cit. l.*

lor dentium exoriri ſueverat. Ejuſdemmet, *frictione pedum cum rapis congelatis* productæ, exemplum habet *Vitus Riedlinus* (sss) Alioquin & fœminas quaſdam, plenum fœtus uterum gerentes, odontalgiis ſubinde corripi, tam notum eſt, quam quod notiſſimum: adeo ut, pro peculari & certa graviditatis nota in iſtis vulgo habeantur. Non minus notatu etiam digni ſunt peculiares Partium conſenſus, qui ob cauſarum diverſitatem â variis varie diſcriminantur. Ex ſententia enim Sabini *Galenus* (ttt) eosdem tripliciter dividit, ita ut vel ſint διὰ γειτνίασιν, *propter vicinitatem*, vel διὰ τῆς κατὰ γένος, *propter generis conſortium*, id eſt, ſubſtantiæ ſimilitudinem & continuitatem, aut διὰ τῆς κατὰ ἔργον οἰκειότητος, *propter familiaritatem operis*, ſive ſimile officium: Galenum in eo ſequuntur alii, (uuu) alii tamen diverſe diſtinguunt, atque adeo plura conſtituunt, vel pauciora Συμπαθείας genera. (xxx) Nos, ſi quidem in his aliquid ſtatuere nobis liceat, primum illud *Hippocratis L. VI. Epid. Sect. V. text.* 2. fundamenti loco ponimus: nempe ἀνευρίσκῃ ἡ φύσις αὐτῇ τὰς ἐφόδους, *adinvenit natura ſibi ipſi acceſſus*, *id eſt*, *vias*, οὐκ ἐκ διανοίης *ſine conſilio*, ſive, non præmeditata: itemque, ἀπαίδευτος ἡ φύσις ἐοῦσα, καὶ οὐ μαθοῦσα τὰ δέοντα ποιέει, *natura inerudita, & ſine doctore, quæ conveniunt, efficit.* Namque ſapienter admodum, humano corpori mechanicam eſſe ſtructuram, & actiones ejuſdem juxta communes motuum leges fieri, eo docetur: atque adeo in ſe nullus eſt ſimilis officii, ſine viis aut nexu, conſenſus. Neque nobis obſtat mammarum & uteri concentus, qui, quod ductibus peculiaribus & connexione deſtituatur, non niſi in Totius communione fundatus eſt. Videtur itaque paulo accura-

(sss) vid. *Lin. Med. A.* 1698. *m. Jan. Lin.* 14. (ttt) *Lib. III. Epid. Libro de morb. vulg. & in propr. diſp. adverſ. Lycum* (uuu) *Sanct. Sanctorius Meth. vitand. error. Lib. II. c. 4. Laurentius L. I. Anatom. Quæſtio. 30.* (xxx) vid. *Peuceri Meth. General. p. 8. Sennertus Diſp. de Dolore Capit. L. I Part. III. Sect. I. c. 3. Jo. Riolanus Gener. Meth. med. c. 1. Roder. a Caſtro Quæ ex quib. L. II. c. 21. Taurellus Medic. Pract. Meth. c. de part. conſenſu, Wedelius Diſp. de Conſ. Part. cap. 3.*

curatius Partium Συμπάθεια in generaliorem ac ſpecialiorem diſpeſci poſſe. Generalior nimirum eſt, quæ in vaſorum, per totum corpus diſtributorum, continuatis ductibus, & humorum in iisdem commotione reſidet: ſpecialior autem, quæ vel ob Connexionem & ſitum, ſive, ut Veteres loquuntur, viciniam, talis eſt; vel ob Continuationem muſculorum, tendinum, ligamentorum, membranarum, aut nervorum. Et poſterioris utriusque nonnulla modo dabimus exempla. Scilicet, ob connexionem & ſitum, conſenſus quidam eſt, v. gr. inter veſicam, uterum & inteſtinum rectum. Ea enim ratione ab inflammatione hæmorrhoidum dyſuria obſervata eſt a Cl. *Wedelio* (yyy); teneſmus, procidentia ani & ſtranguria ab uteri vitio. Similiter conſentiunt etiam Dentes & Gingivæ: quo pertinet exemplum deſponſati illius ſenis apud *Foreſtum*, (zzz) qui dentes ſibi mobiles, diſſuadente quamvis Medico, filo firmari aureo curaverat; ſed magno cum ſuo incommodo, quod ex inflammatis inde gingivis ſummo afficeretur dentium dolore. Gingivarum enim inflammatio inſignem ſæpe cauſatur odontalgiam, ut dentium caries inſanabilia interdum in gingivis ulcera: * dum

Et mala vicini pecoris contagia lædunt.

Dein quoad Continuationem, & quidem muſculorum, conſenſu aliquo gaudent, e. gr. Maxilla inferior & Tempora; ratione tendinum Cubitus & Digiti; ligamentorum ope Uterus & Lumbi; per membranam Ventriculus & Gula, quibus & Aurium Tympanum, ſeu interiorem meatus auditorii membranulam, adjungit Celeb. *Pechlinus*, curioſiſſimis exemplis inductus, quæ legi apud ipſum auctorem queunt. (α) Tandem nervorum productionibus longe diffuſiſſimi fiunt partium ſpeciales conſenſus. Nam & ipſæ membranæ, tendineæ & nervoſæ, quas, perinde ac perioſtia, recentiſſimi quidam a menyngibus derivant, a nervis accipere fibrillas cognitum eſt. Nervis ſane conſentit Cere-

(yyy) *cit. l.* (zzz) *L. XIV. Obſ.* 5. * Exemplum leg. *in Ephem. Nat. Cur. Dec. II. A. VI. Obſ.* 233. (α) *L. II. Obſerv.* 45.

Cerebrum cum Lingua, Ventriculo, Corde, Utero, plurimisque viſceribus, quin & cum manibus pedibusque. Sic dolorem a capite ad pedis pollicem, & a pede in caput, frequenter & viciſſim remeantem obſervavit *Tulpius* (β) Hinc quoque ortum trahit morbi Comitialis progreſſus ille, cujus mentionem ſupra fecimus, & quo aura quaſi quædam, a pede verſus caput proſerpens, advertitur. Nervorum præterea propaginibus nexa ſunt cor & aſpera arteria, ſtomachus & cor, uterus & ventriculus &c. Aures quinetiam eo pacto cum cerebro, (γ) lingua, (δ) viciniſque aliis partibus Sympathiam habere experientia diſcimus. Sed & Dentibus noſtris peculiaris eſt cum aliis communio: quam nonnulli Medicorum tam longe produxerunt, ut cum genitalibus eosdem conferre non dubitaverint. Non tamen cum illis & nos facimus: Nam eo, quo perinde ex oculis, auribus, genis, naribus, ore, mammis, umbilico, inguinibus, alvo, meatu urinario, digitis, aliisque membris, (ε) ac ex dentium, alveolis, ſeu gingivis (ζ) menſtrua ſuppreſſa effluxiſſe, in hiſtoriis Medicorum legimus, certi ſimul reddimur, ſanguinem non deſtinato, ſed fortuito ſaltem curſu ad dentes ſœpe redundare. Atque hinc nihil præſidii illorum ſententia etiam in odontalgia gravidarum invenit, quæ vel ſola ſanguinis miſſione tam commode delinitur, quam generaliorem corporis conſenſum reddit optime firmatum, ſtabilemque. Neque quicquam probabilitatis opinioni noſtræ derogant exempla doloris dentium, familiari coitus uſu percurati. (η) Evenire enim ſimili humorum volubilitate poteſt, ut ſerum, diutina abſtinentia abundans, dentes, præſertim cacochymicorum, vexet, quo tamen per conſuetas Veneris voluptates imminuto, evane-

 ſcere

(β) *L. I. Obſ.* 33. (γ) vid. *Vieuſſens Neurogr. univ. L. III. c.* 4. (δ) *vid. ibid. c.* 3. (ε) Vid. *Zacut. Luſit. Pr. Admir. L. II. Obſ.* 92. *&* *ſeq. Miſc. Cur.* A. *I. Obſ.* 96. *& Dec. II. A,* 10. *Obſ.* 95. *in App. Schenck. L. IV. Obſervat. p.* 633. *Roder. a Caſtro L. II. de nat. Mul. c.* 11. (ζ) vid. *Zac. Luſit. c. l. Obſ.* 91. *Jo. Rhodius Cent. III. Obſ.* 51. (η) Leg. *Miſc. Nat. Curioſ. Dec. III. A. V. Obſerv,* 76. *Vit. Riedl, A.* 1699. *m. Febr, Lin. med.* 14.

ſcere omnis inde moleſtia ut plurimum ſolet. Idem nonnunquam obtingere videmus Viris, ſufflaminato hæmorrhoidum fluxu; nec non quibus Venæ ſectioni aſſvetis, evacuatio neglecta ſanguinis genuit nimiam copiam. Manifeſtior ex Anatomia inter Dentes eſt & Aures ſocietas: quamvis ſint, qui eam exemplis quam cultro Anatomico monſtrari malint. Notum eſt enim, limarum inaccepto ſtridore dentes ſtuporem incurrere: nocturno tempore baculi, aut enſis, in terram unum extremum defixi, altero, dentibus mordicus quaſi prehenſo, auditionem e longinquo fieri, & gradientium acceſſus detegi. Tacemus reliqua ex uſu rerum depromta argumenta. At enim, quod ad poſterius exemplum attinet, non videtur illud adeo certe conjunctionem aurium cum dentibus intimiorem affirmare. Namque dupliciter illud explicare licet. Nempe commoto & in dentibus tremulo æthere auditus organa ob continuatam oſſium adpoſitionem vibrari facile queunt: inſuper diſſectione cadaverum conſtat, canaliculum quendam fere cartilagineum in aure interna reperiri, in oris cavitatem deſinentem, quo non tantum ſordibus mucoſis ex aure in os, ſed & mutuo commercio aeri, vel ſono, ore excepto, tranſitus in aurem præbetur. Et vero teſtatur Celeberr. *Pechlinus* (θ) *ſeſe vidiſſe, quod inter fumantium ludibria conceptus ore Tabaci nidor mira haurientis dexteritate auribus ſemel iterumque redderetur.* Tum etiam idem ex eo ſcriptores Anatomici comprobant, quod ſurdaſtri, quo exquiſitius audiant, hiante ore Voces & ſonos recipere conſueverint. Hinc non indoctus quidam Vir, *Chriſtoph. Tinctorius*: (ι) *Quod ſi vero*, inquit, *cuique dubium videatur, is ambas obturet aures, arripiat baculum, eoque dentibus apprehenſo inſtrumenta muſica percutiat, ita namque experietur, quod ſurdus quidam multis cognitus in Regis Poloniæ aulâ expertus eſt; videlicet tam exquiſite pulſum inſtrumentorũ aſſequetur, quam alias.* Multo minus dentium aliqua conſociatio hiſtoria illa aſſeri poteſt, quam Treublerus *Th. Bartholino* (κ) dedit, & cujus ipſa verba hæc ſunt: *Juvenis Ruſticus* 19. *annorum ingenti ſubito corripitur horro-*

ro-

(θ) *Supra cit. l.* (ι) *Diſp. anat. de Fabr. & uſu aur. hum. Gedani* 1639. *habita Poſit.* 9. (κ) *Cent. III, epiſt. med.* 17.

rore , mox calor ſubſequitur præternaturalis cum dolore capitis acerbo: paucis diebus elapſis poſt, ex aure dextra materia profluit purulenta ſatis copioſe , mox cum pure exit eadem ex aure dens. Juvenis ille nullo tum temporis carebat dente, eosque adhuc habet omnes & ſingulos. Statuendum enim hic eſt, vel ſuperfluum fuiſſe dentem iſtum, & erratico naturæ opuſculo progenitum, quæ ſententia eſt memorati *Bartholini (λ)*: vel cum Cl. *Metzgero*, præſtigiis Dæmonum auri eſſe inditum; (*μ*) cui & nos aſſentimus. Ad Hæmodiam quod ſpectat, in quam nempe illos incidere diximus, quorum aures vel limarum ſtrepitu, vel cultellorum adfricatione, vel vitri cum arenis attritu, ſimiliumque rerum duriorum inſuavi, atque aſpero ſtridore laceſſuntur, videtur ea quam optime communitatem inter audiendi ſenſum & dentes probare. Neque enim horror aliquis cauſa ejusdem haberi poteſt, quod omnibus pene hominibus id naturaliter inſitum ſit, ut vel ſine iſto ſonitus ſcabritiem perinde dentibus, atque aurium organis, percipiant. Hinc minus acute ſubtiliterque ſenſit acutiſſimus alioquin *Scaliger*, (*ν*) cum ſic ſcriberet: *Cultellorum attritu aviculæ in cancellatis caveolis ad cantillandum excitantur, ob acutam ſoni contentionem. Idem attritus atque etiam limæ ſtridor & ſericarum veſtium ſibilus quaſi quidam pluribus incutit horrorem. Ex horrore foris tolluntur pili, intus muſculi ſuccutiuntur.* Porro non infrequens eſt, ut auris cum dente affecto in ſocietatem doloris rapiatur. In Odontalgia periculoſa hoc notavit *Platerus L. II. p.* 380. *Dolor*, inquiens, *non ſolum dentium regionem occupabat, ſed & temporum, totaque mala illic dolorem patiebatur, eumque intolerabilem, punctionesque in aure ſentiebantur.* Idem etiam honeſtiſſimæ matronæ, Nobiliſſ. Dno. Præſidi arctiſſimo vinculo junctæ, frequentiſſime contingit. Plura hujus exempla ſubminiſtrabit Artis Medicæ tractatio. Tandem conſenſus certiores etiam reddimur Anatomicorum Celeberrimorum ſedula in nervorum ductus inveſtigatione, de qua infra pluribus agemus. Jubet enim materiæ prolixitas brevitati nos ſtudere, atque ad ſequens caput nunc tranſire.

CAPUT

(λ) *cit. l. epiſt.* 18. (*μ*) vid. *Metzgeri de Diſp. Dent. hum. Anat. Th.* 12.
(*ν*) *L. de ſubtilitate Exerc. CCCLXIV. n.* 5.

Caput VII.

De Conſenſus Partium uſu in Medicina.

Rectiſſime quondam judicavit *Cardanus*: (ξ) *Illud, quod contigit Carolo Zeno Venetorum Duci clariſſimo, ſupra fidem eſt. Nam cum vulnus accepiſſet in genu lethale, nec impoſita medicamenta quidquam proficerent, referunt Gallogræcum medicum ſano genu medicamentum impoſuiſſe, ex quo convaluit.* ut enim humorum circumeuntium auxilio etiam inter longe diſſita membra utilitatum aliquam fieri poſſe communicationem non negaverimus, tamen medicamini, integro pedi externe applicito, tantas tribuere velle vires, quibus exitiale vulnus, idemque inſanabile, alterius pedis ſanari queat, ſtoliditatis foret, nedum inſcientiæ, haud leve argumentum. Ipſum Butleri lapidem ſi nomines, nequicquam profecto tale quid ſperaveris. Nolumus itaque nos fabulæ examinandæ diutius inhærere, quæ, ut rationem tantum non omnem, ita ipſam veri fiduciam tranſcendit. Id ſaltem de Conſenſu Partium hoc loco monuiſſe noſtrum erit, peregregios inde & mirandos ſæpe in Medicinam redundare fructus, atque neminem medendi artis peritum dici poſſe, qui eundem quaſi per tranſennam ſolummodo noverit. Tam late enim patet uſus, ut ne quidem morbi, qui κατὰ συμπάθειαν orti ſunt, ab iis, qui κατ' ἰδιοπάθειαν exiſtunt, diſtingui absque ejus accurata notitia queant: quin & nec medelam rite aggrediatur ignarus, utpote quæ in hiſce longe diverſiſſima eſt, exemplis plurimis id monſtrante *Sanctorio Sanctorio.* (ο) Et quomodo, quæſo, tot morborum ſymptomata ἐπιφαινόμενα & ἐπιγενόμενα, criſes, μεταστάσεις & ἀποστάσεις recte quis explicare, nedum curare, valeat, qui partium conſenſum neſcit? De quibus digniſſimum lectu opuſculum nobis reliquit *Rodericus a* Caſtro, *Quæ ex*

(ξ) *L. VIII. de variet. rer. c. 44.* (ο) *de Meth. vitand. error. Libro II.*

ex quibus inſcriptum. Adeo veritati omnino congrua ſunt hæc *Sanctorii Sanctorii* verba: *Nemo in ægritudinem prolabitur, quin* (π) *cadat in varias affectuum ideas, tanta in hoc noſtro corpore eſt harmonia, & partium conſenſus; ſi aliqua pars eſt læſa, eadem extemplo, vel paulo poſt, plures in conſortium allicere ſolet: Labefactetur aliquod viſcus, ſit ventriculus, ſit jecur, ſit caput, ſint denique ex illis, quæ non ita principem locum tenent, protinus variæ in conſenſum ob hanc ſummam partium ſympathiam cadere videntur, unde diverſas in quolibet ægrotante mixturas affectionum ſuboriri vidimus; propterea quæ in tanta affectuum confuſione per ſe, quæ per accidens partibus noſtri corporis conveniant, & quæ primo, & quæ per conſenſum, hoc talem inquiſitionem efflagitat, ut niſi conſiderationis hujusce cardinem prius conſequamur, affectuum curatio, vel notitia, implicita & inextricabilis reddatur, & millies tunc medendo in laqueos incidemus, & ægrotos ad exitium usque deverberare perſæpe poterimus.* Soli lucem addere, atque Oceano aquam affundere videremur, ſi pluribus rem tam manifeſtam perſequi vellemus. Igitur ex permultis pauca ſolummodo dabimus pro more noſtro exempla. Nimirum exoptavit quondam B. Dn. *Major*, Academiæ hujus noſtræ, dum in vivis eſſet, inſigne decus & ornamentum, *in Deliciis* ſuis *Hybernis Invento III.*, *ut, quoniam Ægri interdum, vel ob debilitatem virium non poſſunt Medicamenta accipere per Os, vel ob impatientiam, moroſitatem, aut inſuetudinem non volunt, excogitentur quædam Remedia, quæ ſolo attactu & impoſitione ſuper partem aliquam externam facta, adeo profunde in corpus demittant activitatis ſuæ radios, ut defixos in eo haud paucos Morborum fomites cum evidenti Ægrotantium Levamine expugnent.* *Idem* etiam *cit. l.* non neceſſarium duxit, ut *Medicamenta externa communiter illi tantum regioni corporis applicentur, ubi nidum Morbi cujuſpiam deliteſcere, ex ſignis certis colligimus*; hinc ipſe de inungenda vertice cogitata ſua cum orbe literario doctiſſime plane communicavit, ea *Morbos variigeneris, ſive Cephalici ſint, ſive alias partes occupent, veriſimiliter curari, vel potiſſima eorum ſymptomata ad mitiorem ſtatum reduci poſſe*, exiſtimans, plurimisque exemplis conſentaneum reddens. Sed hæc videri

F apud

(π) *cit. l. cap. I.*

apud laudatiſſimum Auctorem poſſunt. Inſtituti enim noſtri non eſt de medicamentis hic agere. Quid vero tum? ſi ſimiliter vel ſine medicaminum ſubſidio, leviſſima ſolum manuum opera morbos interdum profligari poſſe commonſtremus? Sitne hoc longe jucundius ægro, & ſalutarius? Namque vel ſola verticis raſura non contemnendos præſtat effectus: quam, ſcientiſſimus inter Veteres Medicus, *Celſus L. VI. c. aph. 4.* non ſolum in ſordidis aurium ulceribus, & oculorum vitio, ex inflammatione oriundo, *(ϱ)* ſed & paſſim, ut proficuam, commendat. Et ne quis eam auctoritate potius, quam ratione & experientia, a nobis adductam putet, en! hiſtoriam egregie firmantem, atque in *Ephem. Nat. Cur.* (σ) a Viro non indocto his verbis perſcriptam: *Tonſuram capillorum felicius celebrat apud nos Generoſus quidam Dux militum ſuperior, qui Cephalalgia cruciatus diuturna, caſu potius quam conſilio, detondendos curavit cervicem obſidentes capillos, qua data porta ſe proripuit Cephalalgia. Redit tamen, quoties ibidem ſuccreſcunt capilli; ſed eodem feliciter abigitur aſtu, diſſipatis ſc. in tranſitu Caput cæteroquin turbaturis halitibus.* Quo ſpectat & illa Obſervatio Cl. *Paullini* in Erbaul. Luſt *I.* th. n. 11. ſive *Cent. IV. Obſervat.* ſuarum *Med. Phyſ.* quas edendas promiſit: cui ſimiles plures etiam experientia ſuppeditat. Nam capillis raſis non tantum Convulſiones ſublatas (Vid. *Vit. Riedlin. Lin. Medic. A. 1695. m. Maj. Lin. 29.*) catarrhosque ſemotos (vid. *Idem c. l. A. 1698. m. Dec. Lin. 28.*) ſed & Dolorem dentium aliquando levatum conſtat: leg. *Idem c. l. A. 1697. m. Nov. Lin. 4.* Præterea *Celſus* (τ) de Fricatione in doloribus capitis ita loquitur: *Capitis dolores ipſius frictio levat; non in impetu tamen doloris: & membrum aliquod reſolutum ipſius frictione confirmatur. Longe tamen ſæpius aliud perfricandum eſt, cum aliud dolet; maximeque cum a ſummis, aut a medii partibus corporis evocare materiam volumus; ideoque extremas partes perfricamus.* Atque hodienum in dolore capitis apud Italos leniter pertractari dorſum ad extremitates uſque, paulo ſuperius notavimus. Quoad Tonſillarum tumentium curam ſequentia ex *Rondeletio* (υ) decerpit *J. R. Camerarius*

(ϱ) *L. VI. c. 6. aph. 8.* (σ) *Dec. II. A. 7. Obſ. 152.* (τ) *L. II. c. 14.* (υ) *Meth. cur. morb. L. II. c. 4.*

varius: (φ) *Noſtri ruſtici tonſillarum inflammationem (Antides) furoulx vocant, easque curant, longa frictione facta in carpo, exiſtimantes tumores quosdam factos & apertos, frictione illa dura in carpo prædictum affectum tolli, prodeſt autem revera ob diverſionem.* Eandem ſimiliter in uvula prolongata factam, niſi quod frictus in brachio paulo ſupra pollicem inſtitutus ſit, experimento *Steph. Blancardus in Collect. Phyſico-Medicis*, & *in Ephemer. Natur. Carioſ*, non uno in loco (χ) confirmavit Academiæ hujus noſtræ Profeſſor meritiſſimus, Dn. *D. J. Lud. Hannemannus*, Fautor & Amicus plurimum honorandus: Ipſe qui hac in urbe mulierem novit, quæ quoties ſcapulam fricat, aut digitum quendam altera manu diſtendit, toties ructus edit, atque a flatibus ſubinde moleſtis naturæ benefico munere liberatur. In Sternutatione quoque imminente hoc expertu facillimum ac jucundum eſt, quod ea oculorum frictione vel minimo temporis momento cohiberi poſſit. (ψ) Ultimo nec unguium in manibus raſuram hic prætermittere debemus, utpote in læſis vulnere, aut exulceratis igne digitis haud parvum dolorum ſolatium, ſæpiſſime, non tantum *Vito Riedlino*, (ω) ſed & nobismet ipſis probatum. Primus autem, qui ejus mentionem in ſcriptis fecit, *Th. Bartholinus* exſtitit. Is enim *Cent. IV. epiſt. med.* 45. ſic ſcribit: *Ita & ſi læſus ſit homini digitus, ſtatimque ejusdem digiti ungues præcidantur, non inflammari digitum, ſed citius percurari, certa amici Nobilis experientia reſcivi.*

CAPUT VIII.

DE

Tactus, noſtra methodo in dolore Dentium adhibiti, modo operandi ſpeciatim.

DEntium dolorem juxta illud Poëtæ:

Expletur lacrymis, egeriturque dolor!

F 2 hoc

(φ) *Syll. memorab. Centur. XIV. Obſ.* 51. (χ) *Dec. II. A. 2. Obſ.* 56., & *A. 3. Obſ.* 50. itemque *A. 5. Obſ.* 127 (ψ) Leg. *Schneideri Lib. de Oſſe cribriſ. p.* 473. & *ſeq.* (ω) vid. *Lin Med. A.* 1696. *m. Jan. Lin.* 11.

hoceſt, lamentationibus & fletu curatum aliquando vidit Experientiſſimus Vir, *Timæus a Güldenklee.* (αα) Et hujus quidem rationem ille in imminuto ejulationibus ſero quærit, quoniam ſimili pacto per Sudorifera, Purgantia etiam, aliaque, ſerum e corpore ſubducentia pharmaca, doloris mitigationem fieri poſſe, experientia edoceat quotidiana. Sed veremur nos, ne animi affectui curisque plurimum hic tribuendum ſit, atque adeo contingenter ſaltem dolor fuerit ploratu ſublatus. Neque enim poteſt, impeditis ac mœrore devinctis quaſi ſpiritibus emiſſariis, animus exteriorum partium cruciatus pernoſcere, aut ſpasmodica fibrillarum contractio in membris condolentibus fieri, poſtquam copia ſpirituum, confertim irruentium, jam tum eſt diminuta. Terror etiam, aliique affectus vehementiores, motum ſpirituum in totum ſæpe mutant, unde non ita infrequentes ſolent eſſe odontalgiæ per eosdem ſanationes. Sic a conſpecto medicamine evanuiſſe dentium dolorem, exemplo teſtantur *Ephem. N. C. Dec. II. A. 5. Obſ. 31. in App. Totum enim contremuit corpus ſubſequente vomitu, a nauſea concitato & eapſe hora omnis deſiit dolor.* Quin & imaginatio fortior plurimum hic valet: cujus exempla paſſim proſtant apud ſcriptores. Pari ratione dolore permagno minorem auferri videmus, non quod is illo obſcuretur, ut ἀκυρῶς nonnunquam loqvuntur Medici *, ſed quod vehementior cauſa ſpirituum curſum a parte minimum dolente avertat quaſi, animi ſenſus plus commovendo, atque ad ablegandos aliorſum ſpiritus incitando. Sic *Vitus Riedlinus* (ββ) refert, *quendam Empyricum ſe dolorem dentium cuidam certo amico ſublaturum promiſiſſe, modo in alio loco dolorem quendam ferre velit, cui conditioni cum annuiſſet dentibus laborans, medicaſtrum iſtũ ano allium indidiſſe, unde tantus in illis partibus dolor ſubortus, ut de dentibus amplius ne verbo quidem æger, de dolore hoc vero multis ejulatibus conqueſtus fuerit.* Imo παράδοξον etiam hocce veriſſimum eſſe novimus: poſſe ſc. etiam minorem dolorem interdum majorem abigere. Idque fit, dum in nervi ejusdem partis dolentis, diverſa propagine novus exci-

(αα) *Caſ. 42. L. I.* * cum *Hippocrate Sect. II. aph. 46.* (ββ) *A. 1695. Lin. Med. 3. M. Dec.*

excitatur, licet exilis, dolor. Hinc ſæpius nos vidimus errhinis paulo acrioribus ac ſubtiliſſimis, vel momento ſedatam fuiſſe odontalgiam. Contra ſunt etiam remedia, quæ ſpirituum turbatos motus blande permulcent, nervo dolenti conſentientem alium titillando. Quo referenda illa eſt hiſtoria, quam *Paullini* (γγ) his verbis recenſet: D. Weißbrod erzehlte mir zu Utrecht / wie eine Frau in ſeiner Heymat nicht beſſer die offtmahlige Zahn-Schmertzen beſänfftiget hätte / als durchs Geigen: Darum wenn die Quaal angieng / ließ ſie die Muſicanten (ſo immer bey der Hand ſeyn muſten) eiligſt holen. Je ſtärcker und anmuthiger dieſe geigeten / je weniger ſie das Zahnweh fühlete: ſimili exemplum *Sinapius* habet *Tr. de Remed. Dol. p. 55.* Aliis, nempe frigidiſſimis, ſpiritus in nervos fluentes denſos reddere, ac compedes quaſi injicere licet. Eo pacto, aquam frigidam articulorum dolores & convulſiones ſanare, docet *Hipocrates* noſter *Sect. V. aph.* 21. & 25.* Et *fruſtum glaciei abdomini impoſitum diram Colicam ſedaſſe*, obſervavit *Schraderus*, Profeſſor Helmſtadienſis. (δδ) Veteres etiam ut *Aëtius*, (εε) *Avicenna* (ζζ) nivem adverſus dentium dolores a cauſa calida proficuum judicant: quam eorundem ſententiam *Zacut. Luſitanus* (ηη) exemplo etiam comprobat, dum *militem ſtrenuum, incaſſum omnibus tentatis, demum nive, qua aquam bibendam refrigerabat, fortuito in ore detenta, eaque iterum atque iterum accepta, a dolore intra horam immunem evaſiſſe, & plures alios, qui hoc præſidium ſunt experti, doloris ſævitiem effugiſſe* ſcribit. Alia plura exempla legantur apud *Thom. Bartholinum L. de nivis uſu cap.* 25. E contrario a cauſa frigida orto dolori adhibentur, quæ ſpiritus denſatos extenuant, eosdemque ad motum blande concitant. Atque hac ratione vel ſolo linteo calefacto ſedatos inſigniter

 con-

(γγ) Erbaul. Luſt 1. Th. N. 79. (δδ) *in Diſſ. de Doloribus Th.* 18. cui add. exemplum *a Th. Bartholino Cent. VI. hiſt.* 88. memoratum. * Add. *Celſ. L. I. c.* 9. (εε) *tetrab. II. ſenn. IV. c.* 27. (ζζ) *L. II. tr. 2. cap.* 524. (ηη) *de Pr. Med. admir. L. I. Obſ.* 79.

conſpeximus dentium dolores: eo etiam propoſito tam Veteres quam recentiores Medici, (θθ) provide inſtillare auri lateris dolentis jubent nervina ac diſcutientia medicamina, ut oleum Caſtorei, rutæ, matricariæ, Balſamum Peruvianum, & ſimilia. Porro reperiuntur, qui nervorum continuationem, atque adeo ſpirituum animalium conſortium tollunt, uſtione nervulum denti ſubjacentem diſcindendo. Idque peculiari inſtrumento, ab ipſomet in *Exercit. Pract. pag.* 116. delineato, cum ſubito levamine præſtitiſſe ſe memorat *Dekkerus*: itemq; *Sinapius* (ιι) *aliquem novit, qui ferro candente dentem dolentem circa radicem ſibi aduri curavit dolore extemplo evaneſcente.* Aliter vero, ac longe mitiori conatu nervi comprimi poſſunt, ita ut ſpiritus concitati aditu tamdiu prohibeantur, donec contractio nervulorum ſpasmodica ſponte remiſerit. Sic enim Spaſmodicis doloribus mederi faſcias manifeſtum eſt: (κκ) quin & tumores genarum ipſi hoc nonnunquam perficiunt, quoniam, illis tumefactis, plerumque ceſſat, vel mitigatur dentium dolor. Atque huc & noſtram referimus ſedandi methodum, quippe quæ ſine animi affectu, ſine dolore, violentia, aut motu, ſola digiti ſive calidi ſive frigidi, admotione, fluxum ſpirituum reprimente, dolorem momento aufert. Verũ videtur nobis hic præcipue objectari poſſe primo, quod non tantum Spiritus ſed & ſanguis motu peccet: Continuato enim dentium dolore utplurimum tumeſcunt genæ. Dein, quum non dentem ipſum, ſed aurem attingamus, ſequitur per conſenſum partium vel generaliorem, vel ſpecialiorem, h. e. aut vaſorum aut nervorum ope fieri curationem noſtram: Non nervorum ope, quoniam quinta conjugatio Recentiorum, ſive tertia Veterum, quæ Anatomicorum præcipuorum unanimi conſenſu dentes ingreditur, ſecundum Neurologiæ

(θθ) vid. *Nic. Piſo L. I. de morb. cogn. & cur. c.* 48. *Rodericus a Fonſeca T. I. Conſult.* 46. *Foreſtus L. XIV. Obſ.* 4. *in Schol. Platerus* Prax. *T. II. c.* 8. *Jo. Vigirius de Catarrhis c.* 25. *p.* 116. *Mayerne Prax. Med. Wedelius Exercit. Patholog. Therap. III. p.* 50. & alii (ιι) *ſupra c. l. p.* 47. (κκ) vid. *Vit. Riedlin. c. l. A.* 1697. *m. Nov. Lin.* 5.

giæ accuratiores interpretes, *Williſium* & *Vieuſſens* nulla propagine cum auribus communicet. Sic enim hujus ductus deſcribuntur, ut anterioris alius ramꝯ ſit ſuperior, ophthalmicus vel oculorum motorius dictus, quod propaginibus ſuis oculorum motui inſerviat, alius inferior, Williſio maxillaris appellatus, qui muſculo maſſeteri, faciei integumentis, gingivarum carni, radicibus dentium maxillæ ſuperioris, naribus demum ac faucibus ſurculos quosdam impertiat; poſterioris, maxillaris inferioris alioquin, ſeu guſtatorii, vocati, (præter ſurculos quosdam, quos ad buccinatorem, maſſeterem, & reliquos inferioris maxillæ muſculos dimittit) alia propago in linguam, in ejusdem vero muſculos, oſſis mandibulæ inferioris ſinum, dentium radices, & ſic porro alia, alia denique in glandulam parotidem penetret, ibidemque finiatur. Porro, quod ſi cum auribus conjunctionem habeat dentium nervus, tamen dubitari poſſit, num eo ſpeciatim loco, quem tangimus, ſitum obtineat. Quin *Riolanus* (λλ) inſignis Anatomicus *ſurculum a Carotide deductum, qui auris antitragum perreptat, maxillam ſuperiorem irrigaturus, ut ſingulis dentibus ſpiritum vitalem ſuppeditet, diligenter hic notandum* monet: Cui ex recentioribus *Nath. Highmorus* aſſentit. Atque adeo videtur veroſimilius eſſe, non ſpirituum in nervos fluxum, ſed ſanguinis per arterias in dentium alveolos profluentiam cohiberi. Verum enim vero, quamvis non omnino negemus aliquam ſimul fieri hac encheireſi noſtra poſſe ſanguinis retardationem, qvum eo, quo tangimus loco, arteriolam eſſe ſitam, ad dentes progredientem, non *Highmorus* tantum, & *Riolanus*, ſed & *Bauhinus*, aliique graviſſimi ſcriptores memorent; Tamen eam ſolum Tactus in aure ſalutaris eſſe objectum, eſt, quod inficias imus. Namque primo ab Anatomicis ſatis eſt ſuperque commonſtratum, non vaſa, ſed membranam nerveam, cavitatem dentium inveſtientem, imo ipſum nervi ſurculum, doloris exquiſitiſſimi cauſam eſſe. Hinc *Nic. Piſo* (νν) *Raro*, inquit, *dolent dentes, niſi corroſi fuerint, & corroſio uſque ad cavitatem internam penetret,*

(λλ) *Anthropogr. L. IV. c.* 5. add. *Enchir. Anat. L. IV. c.* 8. (μμ) *Diſp. Anat. L. III. p.* 2. *c.* 6. *Anacephal.* 260. (νν) *L. I. de morb. cogn. & cur. c.* 48.

tret, ac nervum tangat. Propterea omnium maxime dolent maxillares. Dein etiam notiſſimum eſt, tumorem dolorē non antecedere, ſed eundem conſequi, adeo ut tumor effectus, non cauſa ſit odontalgiæ: Dum enim fibrillæ ad contrahendum ſemet irritantur, non poſſunt non ſimul coanguſtari proxime adjuncta vaſa: his vero obſtructis, qvum ſanguis, per arteriolas continuo affluens, non æque commode refluere queat, mirum adeo non eſt, inflatione non ſolum illum locum diſtendi, quo dolor perſentiſcitur, verum, ob magis magisque increſcentem humorum ſubſiſtentiam, etiam vicinas partes, ac non raro dimidiam capitis ſphæram in conſenſum doloris pertrahi. Plane itaque convenit, ut medela, non ſanguini, ſed contractioni ſpasmodicæ nervorum primario adferatur, quoniam, hac ſublata aut remittente, ipſe confeſtim evaneſcit, aut imminuitur dolor. Atqui ea potiſſimum ratione digiti applicationem affectioni huic fructuoſam eſſe ſupra diximus. Quod ſi autem venæ, aut arteriolæ ſectione eadem nonnunquam percuretur, id tantum abeſt, ut ſententiæ noſtræ veritatem convellat, ut magis eo confirmetur. Nam ſanguis, fluxu impeditus, præſertim impurus, pravisque humoribus contaminatus, particulis acrioribus, tanquam ſpiculis, amplius ad contractionem incitare nervorum fibrillas ſolet. Qui, ſi avertatur, atque evacuetur, non poteſt non inſignem corporis membris apportare delinitionem. Hinc enim eſt, quod oculorum doloribus intenſis tam præſens ſit in arteriotomia temporum auxilium. (οο) Quin & Medicorum Veterum nonnullis (ππ) venæ ſectio in aure inſtituta ad levandum dentium dolorem inde adeo frequens fuit. Noſtra tamen methodo non tam ſanguinis, quam ſpirituum curſum inhiberi vel inde patet, quod momentanea compreſſione levatus omnis dolor ſentiatur, qui vero neceſſario rediret, poſtquam remotus fuerit digitus, ac ſanguis ad dolentem locum libero motu rurſus permeet. Porro auris externæ locus, quem premimus,

(οο) Exempla vid. *Act. Hafn. vol. I. Obſ.* 4. *Tulpii L.* I. *Obſ.* 48. *a Meekern obſ. chir. pag.* 206. *ſq.* (ππ) vid. *Actuarius L.* III. *Meth. med. cap.* 2. *Jo. Platearius in Pract. meth. cur. morb. c.* 3, *&* *Arnaldus L.* II. *Breviar. c.* 34. *&. L. X.*

mimus, maxime omnium ſenſibilis eſt, adeo ut ſi duriuſcule paulũ, & cũ ungue digiti, preſſus fuerit, oculi lacrymis nonnunquã madeſcant, certo indicio hic nervum latere. Eſſe vero hunc paris quinti truncum, vel propaginem, merito quis dubitare poſſit, quod in deſcriptione ejusdem Williſius nullius plane commercii cum aure fecerit mentionem. Attamen *du Verney L. de Auditus organ. Part. I.* nervulum, tympani membranæ inſtar chordæ ſubtenſum, non auditorii, ſed quinti pars propaginem ſtatuit; *eundemque, priusquam e canali ſuo exeat, portionis duræ* (nervi auditorii) *trunco jungi. Euſtachius* apud *Eundem Tr. de Auditu P. I. c. 2. §. 8.* ſic ſcribit: *Poterat ſane ad tympanum, & ad organa auditus ab una aut ab altera portione quinti partis nervorum cerebri commode nervus diſpenſari; quod tamen minime factum fuiſſe cernimus, ſed ab altero ejusdem viſceris quarti jugi nervorum ramo exilis quædam propago reflexo itinere, juxta illum quem modo deſcripſi oſſeum canalem, aurium cavum in quo oſſicula auditus continentur, ingreditur, & oblique tympano, ac deinde oſſiculo, malleum imitanti ſupra muſculi inſertionem adhæreſcit: nec ibi deſinit, ſed ulterius procedens os lapideum in poſteriori ſede meatus auditorii perforat, deorſumque reflexa parumper repit, ac tandem cum tenuiori durioriquc ramo quinti paris nervorum cerebri jungitur & coit.* Celeberrimus etiam *Bohnius Phyſiol. progymn. 26. Par,* inquit, *nervorum auditorium, ſive VIImum, duplicem involvit caudicem, molliorem ac ſolidiorem, quorum ille tantum in auris cavitate terminatur, nihilque amplius commune aut implicationis cum ſolidiore habet, ſed hic, interiora ejus elabens, auriculæ tantum externæ proſpicit ad remotiora tendens, atque ſub egreſſu quoddam fœdus cum nervo quinti paris iniens. Verheyen Tr. VII. c. 4. participare etiam aurem internam de pari quinto capitis, & Tr. IV. c. 15. participare quoque Aurem externam de ſurculis quinti & ſexti paris* ait. Qnibus ſane patet, eſſe inter Dentes & Aurem quandam communitatem. Reliqua Anatomicis relinquimus perveſtiganda.

Caput IX.

De Methodi noſtræ Commodis atque utilitate.

Oſtendimus hactenus, & modum ſedandi per tactum dolorem, & modi iſtius rationem; videtur nunc æquum eſſe, ut de utilitate quicquam dicatur, quantumque reliquis, qui hactenus innotuere, is noſter antecellat. Vana enim omnis hæc ſcientia eſt, ut ſpecioſa, niſi in generis humani demum vergat commoditatem. Ipſam ſane *Naturam*, cujus Medicum & miniſtrum & imitatorem eſſe decet, *conſultricem & providam utilitatum opportunitatumque omnium* ſapientiſſime quondam dixit *Cicero L. de Nat.* Adeo in culpam vertendum non eſt, ſi, dum alii in id, quod religioſum ac pium, alii, quod juſtum atque æquum, alii demum, quod verum & honeſtum ſit, inquirant, Medicus omne ſuum utilitate dimetiatur ſtudium. Nemo vero operam hanc noſtram ideo levem æſtimabit, quod in Dentium curatione hactenus occupati fuerimus. Ut enim minuta hæc oſſa revera ſint, tamen permagni quondam ab Ethnicorum Veterum prudentiſſimis habita fuiſſe, vel inde patet, quod in templo Apollinis ὀδονταγωγὸν ſuſpenderint plumbeum; Monituri poſteros, eadem, licet carioſa, niſi tam mobilia forent, ut vel plumbeo exigi inſtrumento poſſent, neutiquam temere evellenda eſſe. Et vero in Turcis mirandum hoc eſt, quod, teſte *Menavio*, Italo ſcriptore, *L. III. cap.* 22. non niſi impetrata Regis licentia dentes extrahere auſi fuerint. Imo & ipſi ſummo Numini adeo ſunt æſtimati, ut juxta legē Moſaicam ſervus manu mittendus ſit, cui Dominus dentes effregit. (ϱϱ) Hodie nihiloſecius in propria ſæpius deſævire corpora cernimus homines, ſive perverſis conſiliis, ſive pravis exemplis permotos: quum potius nihil intentatum prius relin-

(ϱϱ) vid. *Mœbius Fundam. Med. c.* 9.

relinquere debuiſſent, quam ad tam atrox, ac periculi haud expers remedium deveniretur. Non ſolum enim metuenda ab arteriis venisque ruptis moleſta ſanguinis profuſio, quam ſubinde ſatis periculoſam, imo lethalem fuiſſe exemplis conſtat, ſed & maxillarum dilaceratio, indeque fœda faciei deformitas, inflammatio, gangræna, ipſa denique mors pertimeſcenda. Sic ſubitæ mortis ab Extractione exemplum in Sene habet *Foreſtus L. XIV. Obſ. 4.* Et Herophilus & Heraclides Tarentinus *mori quosdam detractione dentis* memoraverunt apud C.*Aurelianum L. II.Chronic. c.4.* Inflammationem, atque ulcus malignum, poſt dentis evulſionem obortum, maxillam inferiorem, linguam & palatum miſere depaſcens, usque dum permagnis cruciamentis mors inſequuta ſit, in mercatore quodam vidit *Felix Platerus.* (σσ) Neque vel inciſio gingivarum tuta ſatis eſt: *mortiferam enim aliquando extitiſſe* oſtendit *Tulpius*, (ττ) *Tantum*, inquiens, *abſuit, ut inde vel citius emerſerint dentes; vel placatus ſit dolor: ut potius cuncta inde ruerint in pejus: excitatis ab inciſione non modo febribus ac vigiliis: ſed etiam deliriis adeo efferis; ut dies noctesque præ furore diſcurrerit per conclave: ante quam miſerrimo dolori finem impoſuerit mors.* Hinc demum alios cautiores redditos medicamentorum variorum infinitum numerum adhibere, ac, quum fruſtraneo ſæpiſſime conatu plurima tentaverint, ad Opiata, tanquam ad ſacram anchoram, confugere videmus: ſive quod labem eorundem ignoraverint, ſive quod parum adeo curent. Notum enim eſt Medicis, quam certum ſit dentibus excidium a frequenti opiatorum uſu, (υυ) Quin & eo, ceu quodam ſtratagemate, a tot evulſionum incommodis præmunire ægros geſtiunt vulgo circumforanei, ac revera etiam nonnunquam ſpontaneum dentis lapſum arceſſunt. Ut taceamus ſanitatis & vitæ ab opiatis jacturam. Sic narcoticorum ſuffumigia pulmonibus eſſe poſſe noxia, nemo non animadvertit: & cumprimis ex Hyoſcyami

(σσ) *T. II. cap. 7. p.* 306. (ττ) *L. I. Obſ. med.* 36. (υυ) Leg. *Ephem. Nat. Cur. Dec. II. A. 2. Obſ.* 163.

mi fumo ſanitatis damnum egregie oſtendit *Hagendornius Obſervat. med. Cent. III. hiſt.* 84. (φφ) Itemque ex *Alex. Benedicti de cur. morb. L. VI. c.* 13. refert *Foreſtus in Obſervat. Jac. Juſtinianum, Patricium Venetum, in dentis dolore oleo opiato impoſito, Patavii ſopore perpetuo exſtinctum fuiſſe: Zacutus Luſitanus de Pr. Med. admir. L. I. Obſerv.* 80. notat, *quendam, cum pluribus diebus dolore dentis corroſi concusſus vehementer, multis adhibitis præſidiis levari non poſſet, amicorum conſilio, intra dentis cavum indidiſſe Philonium Perſicum: Eo admoto, ſtupidum veluti, ſequuta auditus gravitate, exſtinctum eſſe.* Hinc *Sennertus, Heurnius,* aliique ſummi Viri, ſerio admonent, ne ad Narcoticorum uſurpationem, niſi *ſumma urgente neceſſitate,* deveniatur. Plura ex aliis odontalgicis detrimenta adduci hic poſſent; ſed ſupervacuum hoc videri queat methodo noſtra utentibus. Quæ non ſolum omnium tutiſſime, verum etiam citiſſime, dolorem aufert, adeo ut pauciſſima, etiam optima, remedia cum ea in contentionem venire queant. Laudet ſane *Dekkerus Exercitat. Pract. p.* 115. *Pyrethri radicem maſticatam, quo in momento nonnunquam ægros eſſe curatos* meminit; novimus tamen exemplo dolorem inde non curatum, ſed auctum: (χχ) Affirment alii cum *Mart. Rulando Curat. Empyric. Cent. II. curat.* 3., *oleum Camphoræ certo domare, & abolere omnem dolorem;* nos eo *multum exacerbati doloris* exemplum apud *Thonerum L. II. Obſ. 6. de Dolore Dent. legimus.* Extollant porro *Olei caryophillorum,* ſimiliumque virtutes; nos non tantum fruſtra uſurpatorum meminimus, ſed & *acredine dentes corrodere,* diſcimus ex *Encheir. med. Primeroſii.* Quin, & quævis externa, ut ſint nobiliſſima, minime fallacem medelam adferre dentibus nequire, ratio ſuadet. Nempe, quod non æque commode acres mordentesq; humores corrigere, ob profundius nonnunquam ſitum dolorem, valeant, & ciborum etiam, fluentisq; continuo ſalivæ, miſcela vires imminuantur. Celerioris alioquin certæque curationis laudes tribuunt nonnulli Scriptores etiam Emeti-

(φφ) cui add. *Ephem. N. C. Dec. I. A. 3. Obſ.* 21. (χχ) vide *Foreſtum L. XIV. Obſ.* 3.

neticis: hinc *graviſſimos dolores dentium, ſimulac evomuit aliquis olli*, *Crato* ait, (ψψ) & *ex maſticato Tabaco indeque exorto vomitu dolorem ſibimet evanuiſſe* ſcribit *Riverius Cent. IV. obſ.* 31. Verum rari unt uſus in dentium dolore remedia adeo inaccepta, neque omnibus, cumprimis uterum gerentibus, ea propinare licet. Adeo nullum eſt Pharmacum, ſive interne, ſive externe uſurpandum, quod vel omnibus æque conducat, vel peculiaribus non ſtipatum ſit incommodis: imo dixerimus etiam, quod præſentiſſimum afferat dolori remedium. Cujus potiſſimum ratione impulſi Veteres, præter Venæſectionem in aure, etiam Antitragi, nec non *arteriæ in maxilla inferiore prope angulum repentis*, (ωω) uſtionem invenerunt. Et venarum quidem prope aurem apertio, licet antiquiſſima ſit, & jam tum *Hippocrati* cognita, tamen *â Galeno Comment. ad L. VI. Epid.* inutilis fuit habita, atque, eodem teſte, ab ullo perito Medico nunquam tentata. Vaſorum autem ſanguiferorum in Antitrago vel uſtionem, vel reſectionem, primus retulit *Joa. Riolanus Antropogr. L.* IV. *c.* 5. quippe qui arteriæ ramo hic loci reſecto, *miraculi inſtar ſedatam vidit odontalgiam, propter commeatum ſeroſi & acris humoris interceptum*: Dicitq; *fuiſſe quendam Pariſiis, qui ex hac ſola operatione magnum quæſtum fecit*. Ex recentioribus pauci ſunt, qui hujus vel meminerint, nedum in uſum eam deduxerint, D. Spigelium forte, pauciſſimosque alios, ſi excipias; quem ſc: Sclopomachærio candente eam anthelicis partem, quæ ſuperiorem tragi immediate contingit, feliciſſimo ſemper ſucceſſu incidiſſe, legimus: Vid. plura apud. *Scultet. armam. Chirurg. Obſ.* 25. 28. & *Dec. II. A. 1. Miſcell. Cur. Obſ.* 27. Nuperrime etiam Cl. *Nuckius Experim. Chirurg.* 18. Inſtrumento ejusmodi chirurgico *dolorem hunc momento citius & quaſi incantamento tolli poſſe*, aſſerit. Quæ omnia methodi noſtræ præſtantiam mire confirmant, uſtionem illam jucunditate longe ſuperantem. Quis enim tantum ab uſtione dolorem non reformidet, & ſtigmate quaſi quodã ſe notari patiatur?

Ultimo

(ψψ) *epiſt.* 182. Vid. quoque *Höferi Hercul. Med.* L. I. *c.* 11. *p.* 85. (ωω) Vid. *Riolanus Ench. Anat.* L. IV. *c.* 8.

Ultimo reſtant quoque Amuleta , quorum inſignem numerum *Wolfius in Scrutinio Amuletorum* collegit, & Transplantationes magneticæ, ita dictæ, quas *Paracelſus*, *Helmontius*, & alii, in Medicum uſum traduxerunt. Enimvero & his ſimiliter acceptior eſt noſtra medendi ratio , quod gingivarum cruento ſanguine atque ab acerbiſſimis punctionibus ſanguinolenta feſtuca prorſus non ſit opus: ut taceamus dubiam & Amuletorum & Tranſplantationum efficaciam. Nemo enim, cum doloris vehementiæ mature nonnunquam eſt occurrendum, dubio ſeſe facillimum committet medicamento. Sic exemplum icteri , transplantatione curandi , *Vitus Riedlinus Lin. Med. A.* 1699. *m. Dec. Lin.* 5. recenſet, quem ob effectus tarditatem mors finivit. Adeo nullum hactenus notum eſt remedium , quod omnes optimi medicaminis conditiones æque explet, ut tangendi noſtra methodus. Tutiſſimum enim pariter, ac præſentiſſimum levamen, ſine omni dolore , affert, adeo ut puerulis etiam ſit maxime accommodata. Dein omni etiam dolorum generi medetur , niſi fortean ſint odontalgiæ inſanabiles , cujus exemplum *Horſtius* habet *Oper. T.* II. *Obſ.* 33. *p.* 98. Et , ſi cauſa continens ejus naturæ ſit, ut chirurgi manum neceſſario exigat, v. gr. ſi caro quædam ſub radice dentis luxuriet , quod uxori Nobiliſſ. Dn. Præſidis aliquando contigit. In aliis, ut cauſa videatur pextinax & continua, indeque ſubinde dolor recrudeſcat; tamen facillima encheireſi , remedioque , quod nulli non homini ubique in promtu & ad manus eſt , omni temporis momento idem rurſus abigitur. Non poteſt igitur ſatis laudari divina benignitas , quæ tam benefico auxilio humano proſpexit generi. Cui ſoli etiam nosmet omnem tribuimus Gloriam , Gratesque perennes.